

HINCARI
ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS
DE DIVORTIO LOTHARII REGIS
ET
TETBERGÆ REGINÆ

557 INDEX CAPITUM.

INTERROGATIO I. De occulto flagitio uxoris Lotharii, et de libello capitum octo conventus Aquensis, in quo per secretam confessionem removeri se a conjugio postulasse dicebatur. — **RESPONSO.** De absconditis quæ nos latent judicare nos non posse, et quæ secreta confessione sciuntur, secreto sananda esse consilio. De altero libello capitum septem, et de tomo synodi Aquensis. Regi confessam, secundum leges a laicis judicandam fuisse. De regis, ut aiebant, dolore ac tristitia, deque decreto Tetbergæ repudio et pœnitentia publica.

INTER. II. Quod ad iustar secretæ confessionis Ebonis de hac femina debeat judicari. — **RESP.** Sicut alius ordo, ita et alia causa et lex viri est et uxoris, et alia non solum episcopi, verum et presbyteri et diaconi: quia uxor a viro separari non potest, episcopus potest gradum amittere.

INTER. III. De eo quod Hincmarus tali facto consensisse dicebatur per Wenilonem, Hildegarium, et Adventium episcopos. — **RESP.** Quod per prædictos episcopos nec consensum nec dissensum exhibuerit, binisque litteris ad Adventium in generali potius synodo ventilandum rem videri testatus sit.

INTER. IV. Qualiter iniri debeat conjugium. — **RESP.** Qualiter iniri conjugium debeat, et vetus et nova lex edocet, Domino per Moysen præcipiente, et in Evangelio confirmante.

INTER. V. Pro quibus rebus inita conjugia separari valeant, et utrum post disjunctionem vir aut femina ad aliam copulam aspirare debeant. — **RESP.** Non qualibet de causa, sed secundum evangelicam veritatem ob solam fornicationem, nec sine episcopi scientia et auctoritate. Separati autem alia conjugia inire non possunt. Northildis et Agemberti conjugum iudicium apud Attiniacum.

INTER. VI. Quid videatur de iudicio aquæ calidæ, quod actum est in causa Tetbergæ, et de purgatione sacramenti, utrum causa sic purgata debeat in iudicium legale reduci. — **RESP.** De iudicii et juramenti purgatione, juxta divinas litteras, et canonum sanctorumque Patrum auctoritates. Quare cum hujusmodi iudicio hæc femina purgata reconciliata sit et restituta, causa iterum in quæstionem revocanda non videtur, præsertim quia si vicarius ejus succubisset, ad audientiam de novo nolisset accusator ipsius debere illam admitti.

INTER. VII. Utrum verum esse possit, quod quidam dicunt, quia pro secretæ confessione, quam ipsa femina fecit, sicut et testis est qui illam suscepit, vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus evasit. — **RESP.** Dum veritatem impia falsitate piæ prædicant, fictam calumniantur, quæ sic voluit istam feminam liberare, ut iudicio ipsius credentes deciperet, cum scriptum sit, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* (Sap. 1), et simplex veritas nihil per duplicitatem faciat.

INTER. VIII. Utrum fieri possit, quod quidam dicunt, quia intentio illius feminae fuit de alio ejusdem nominis fratre suo, quando vicarium suum in iudicium misit, et idcirco se in eodem iudicio non coxit. — **RESP.** In libro Regum scriptum est, dicente mendace spiritu: *Ego decipiam Achab, et reliqua, usque ad id quod dicitur, decipies et prævalebis* (III Reg. xxii, et II Paral. xviii). Et Paulus dicit de quibusdam, *qui non probaverunt Deum habere in notitiam, propterea tradidit eos Deus in reprobum sensum* (Rom. 1). Et item, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, idcirco immittet illis Deus spiritum erro-

ris, ut credant mendacio, quatenus judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

INTER. IX. Si in iudicio, vel in sacramento, fraus quæcunque reperta fuerit post datam purgationem, utrum causa iudicio vel sacramento purgata in iudicium debeat legale reduci. — **RESP.** Nec mirum videri debet, si fraus in iudicio fuerit operatione diaboli, qui licet perdidit angelici spiritus gloriam, sed non amisit naturæ subtilitatem: quod sit permittente Domino, aut pro infidelitate non recte credentium, aut pro purgatione fidelium. Et si in iudicio, vel purgationis sacramento, per quodcunque ingenium fraudulentia reperitur, duplicata iudicii actione, sive pro peccati admissione, sive pro infideli illusionem, causa in quæstionem ratione docente reveniat.

INTER. X. Si hæc causa, unde iudicium factum audivimus, et quidam etiam vidimus, in iudicium fuerit revocata, qualiter idem debeat canonicè ordinari iudicium.

— **RESP.** In omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est iudices electos, accusatores ac defensores, et testes, ut in præsentia positus, aut confutatus, aut certe confessus, justæ possit subjacere sententiæ; sed et extorta confessio, vel coacta subscriptio, nihil vigoris obtinere debet.

INTER. XI. Utrum de secretæ confessione, ut dicitur, commissæ episcopis, vel in iudicio porrecto libello, eadem femina debeat judicari. — **RESP.** Nec maritus a conjugæ, nec uxor a marito, secretæ confessione, ut præmisimus, possunt disjungi, nisi amore continentioris vitæ: nec porrecto libello secretæ confessionis publicæ pœnitentiæ quisquam debet submitti: neque per scripturam directam, vel ab alio ejus vice porrectam, quisque valeat condemnari, sed unde publice debet aliquis judicari, publice et in præsentia positus debet aut convinci aut confiteri.

INTER. XII. Utrum de tali stupro, sicut ista femina reputatur, quasi frater suus cum ea inter femora, sicut solent masculi in masculos turpitudinem operari, potuerit concidere, et post abortum virgo valuerit permanere. Et si deprehensa fuerit hæc ante conjugium crimina perpetrata, utrum in conjugio debeat aut valeat permanere. — **RESP.** A sæculo non est auditum, nec de sub isto cælo in scriptura veritatis est lectum, ut vulva feminae sine coitu viri suscepta et concepta, et clauso utero, et in aperta vulva, seu integra carne, vivum vel abortivum pepererit, excepta sola singulariter beata et benedicta virgine Maria, cujus conceptio non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ad eam archangelo, *Ave, gratia plena* (Luc. 1), in quam Spiritus sanctus supervenit, qui ei ex virgineo semine, virgineoque sanguine, sine voluntate carnis, et sine voluntate viri, fecunditatem prolis contulit, virginitatem non abstulit: quæ sicut carnis integra, et vulva non aperta, id est clauso utero concepit, ita non aperta vulva, sed clauso utero peperit, simulque et mater exstitit, et perpetuo ac semper virgo permansit. Utrum autem tali modo, sicut de ista femina dicitur, quæcunque mulier vel virgo concipere valeat, expressius sæculi iudices licentia maritali, ne in iudicio interpretantur, a suis uxoribus discere poterunt: quia nos, homines hujus negotii inexpertes, quæ legimus dicimus, et non inde amplius aut scite quærimus aut investigare volumus. Miramur tamen, si dominus noster prædictam feminam invenit virginem, cur eam devotari quasi stupratam consentit; si vero illam virginem non invenit, quare tandiu eam retinuit, vel cur de illa iudicium

examinationis recepit. Quapropter, ut scribit sanctus Gregorius (*lib. xii, ep. 4*), ne pro quorundam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab officio, quo fungitur, vel gradu non dejicit. Et (*lib. viii, ind. 3, ep. 30*): Grave est satis, et indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia, unde accusatum vel convictio manifesta, vel confessio subsequatur, quam subtilitas examinis ex occultis eliciat, et non afflictio vehemens extorqueat, quæ frequenter hoc agit, ut noxios se fateri etiam cogantur innoxii, videtur æquum atque rationabile, ut isdem, in cuius cura et potestate erat, qui eidem feminæ vim intulit, vel eam ad scelus pellexit, accersatur, et magis per illum causa investigetur, et ipse invehatur, atque secundum legem examinetur, et vel legali iudicio liberetur, vel cum complice puniatur, ne iuste iudicare volentes suspicio quæcunque remordeat, vel derogantes dicant, quia femina terrore et afflictionibus territa mendacium super se dixerit, quod mendacium sua libertate potius, a se qui auctor criminis dicitur, et ab ipsa depellere poterat, si ei lex et iustitia servaretur. Legant æqui iudices primi libri legis Romanæ capitulum sextum de stupratoribus, et septimum de incestis ac turpibus nuptiis, 559 et cætera quæ Christiana jura depromunt, de quorum iudicio ad nos in talibus quæcunque femina venerit deprehensa, canonicum in illam iudicium exercere curabimus.

INTER. XIII. Si idem rex, postquam talia de præfata uxore sua audivit, et ab ejus carnali commercio suspensus fuit, forte concubina usus adulterium perpetraverit, et si hoc ad plurimorum pervenit notitiam, quo debeat sanari medicinali iudicio. — **RESP.** Si forte, ut fertur, rex de quo agitur, post legaliter initum conjugium, cum alia aliqua carnis commistione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiam si femina, quam duxit uxorem, de talibus, sicut reputatur, rea fuerit fortassis inventa, quoniam post legaliter initum conjugium ante legalem definitionem presumpsit illicita. Quo autem debuit sanari medicinali iudicio, sacri decernunt canones, videlicet, ut pœnitentia, et secundum leges statutas, absque personæ respectu, episcopi arbitrio, et pœnitentiæ tempora decernantur.

INTER. XIV. Si fortassis acciderit ut quisque homo sacramento se obligaverit quod criminis sit agere, utrum quod juravit, ne incurrat perjurium, debeat adimplere an, ne, crimen admittat, quod male juravit in irritum debet ducere. — **RESP.** Si aliquid forte nos incautus jurasse contigerit, quod observatum peiorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriori mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum.

INTER. XV. Si hoc verum esse possit quod plures homines dicunt, quia sunt feminæ quæ maleficio suo inter virum et uxorem odium irreconciliabile possunt mittere, et inenarrabilem amorem iterum inter virum et feminam serere, et quod vir legitime sortitam conjugem maritali commercio non possit adire, et aliis valeat feminis commisceri, et itidem eodem maleficio, potentia concumbendi, et dilectio quondam habita, per artem maleficarum possit restitui. — **RESP.** Potest sæpe occulto, sed nunquam et nusquam injusto, divino iudicio, sicut Scripturarum auctoritate, et majorum doctrina in opusculi corpore demonstrabimus.

INTER. XVI. Quæ sit causa cur Deus, ut dicitur, sæpe in legitimo conjugio permittat talia fieri. — **RESP.** Occulta iustitia Dei licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam ex iustitiæ retributione etiam nolentes trahant.

INTER. XVII. Et si forte tales viri malefici, vel incantatrices feminæ inventæ fuerint, quid de huiusmodi fieri debeat. — **RESP.** Vehementius pastoralia custodia erga tales debet invigilare, atque publice in populo contra huiusmodi rei viros sermonem facere, eosque a tanti labæ sacrilegii, et divini intentione iudicii, et præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria revocare. Quos tamen, si emendare se a talibus atque corrigere nolle repererit, ferventi zelo debet comprehendere. Et si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque, ut ad emendationem pervenire valeant castigare: si vero liberi, in clausione digna, et districta pœnitentia eos debet coercere. Rex autem, si huiusmodi homines ecclesiastica medicina sanari non pos-

A sunt, æquitatis iudicio ut impios debet de terra perdere.

INTER. XVIII. Si sæpefata femina iterum in iudicium venerit, et innoxia reperta fuerit, utrum ad eam vir ejus redire debeat, an alteri feminæ valeat sociari. — **RESP.** Hoc superfluum est iterare, quia supra ostendimus, quod si ante legaliter initum conjugium innoxia, et legaliter nupta suo viro fidem servasse reperta fuerit, secundum evangelicam et apostolicam veritatem, et leges ecclesiasticas, atque catholicorum doctrinam, legitimum conjugium non valeat separari: et si vir et uxor separati fuerint, aut innupti permaneant, aut mutuo reconcilientur.

INTER. XIX. Si ipsa femina criminibus obnoxia de quibus reputatur inventa fuerit, utrum idem rex alteri feminæ conjugii valeat. — **RESP.** Si secundum leges Christianas, forenses scilicet atque ecclesiasticas, inventum fuerit quod illa conjunctio legalis non fuerit, sed magis incestus, et nullo conjugii nomini deputandus, valebit.

INTER. XX. Si tales causæ reputatæ fuerint etiam ipsi regi, unde publicam pœnitentiam agere debeat, postquam illa criminosa 560 inventa fuerit, trum ipse rex post publicam pœnitentiam conjugem legitimum possit accipere. — **RESP.** Si postquam pœnitentiam gesserit, tamen lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegerit, ne crimen fornicationis incurrat, rem videbitur facere venialem, si præter conjugem nullam omnino cognoverit: in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus.

INTER. XXI. Si legaliter rejecta illa quæ criminata est, ipse etiam rex post actam pœnitentiam, si voluerit, concubinam quam habuit, et cum qua post initum conjugium adulterium dicitur, in conjugem possit accipere. — **RESP.** Quia una est lex viri et feminæ, si solutus fuerit a lege conjugis, sicut Paulus dicit de uxore, nubat cui voluerit, tantum in Domino, hoc est, ut Ambrosius dicit, sine suspicionem turpitudinis, et religionis suæ feminæ nubat, hoc est in Domino nubere. Quæ solutio, et licita copulatio duobus intelligitur, et duobus sit modis: scilicet in his qui aut nunquam legale inierunt conjugium, aut morte intercedente soluti sunt a lege conjugii. Denique, mortuo viro vel femina, cum quo vel cum qua verum connubium fuit, fieri post pœnitentiam verum connubium potest cum qua prius adulterium fuit. Summiopere tamen est observandum, ne concubinæ vel cujuslibet alterius feminæ copulam conjugalem rex, super quo voluerunt consulere consulentes, alio quo modo expetat, antequam legali virorum illustrium iudicio, et sacerdotali decreto, conjux, quam legaliter accepit, ipso etiam conjugis nomine iudicetur indigna, aut divino iudicio migret a corpore: neque ante legitimam pœnitentiam in adulterio deprehensus, secundum leges Ecclesiæ, conjugii legitimæ, multo minus eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet.

INTER. XXII. Utrum sequendum sit quod quidam dicunt quosdam docere episcopos, ut sibi confessis viris vel feminis debeant patrocinium defensionis impendere, ne quisquam huiusmodi personas ad iudicium reipublicæ audeat pro criminibus, unde eis confessæ fuerant, etiam si multis nota sunt crimina, provocare. — **RESP.** Hoc quam absurdum sit, quilibet sensatus, licet ignoret leges Ecclesiæ, recognoscit, sicut in subsequenti opusculo ex auctoritate majorum sufficienter ostendere procurabimus.

INTER. XXIII. Si, ut quidam dicunt, se non ex consensu vir et mulier propter continentiam, sed propter dissidium aliquod separare voluerint, vel si separati se continere nequiverint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua episcopi possint eorum fragilitati consulere, dicentes quia secreta confessione ad ecclesiasticam confugerant pietatem, sicut Bosonis mulier, de qua in synodo apud Leucorum civitatem habita fuimus cum interpellatione commoniti, et ideo ab aliis quam ab episcopis, quibus confessæ tales personæ fuerant, non debeant iudicari. — **RESP.** Sciant quicumque hæc dicunt, secundum quemdam modum huiusmodi capitulum quartum erroris fuisse illorum. Si quatuor enim capitulis erraverunt, qui sanctæ synodo Chalcedonensi derogare et contraire presumpserunt, et ab apostolica sede, atque unanimitate totius mundi episcoporum, sunt ut erronei condemnati. Denique septem quæstiones, quas præter istas solvendas accepimus, in processu opusculi exponemus.

561 PRÆFATIO.

*Cur ad omnes generaliter scribat, et de interrogationibus ad se missis quæ scribendi occasionem dede-
runt.*

Dominis regibus gloriosis, et venerandis consacerdotibus nostris, ac cunctis in sinu catholicæ Ecclesiæ collocatis, HINCARIUS, nomine, non merito, Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, una cum collegis dominis et fratribus meis Rhemorum dioceseos venerandis episcopis.

De omnibus dubiis vel obscuris quæ ad rectæ fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum mater et magistra, nutrix ac doctrix, est consulenda, et ejus salubria monita sunt tenenda, maxime ab his qui in illis regionibus habitant in quibus divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, et catholico lacte nutrit quos ad vitam præordinavit æternam. Unde quoniam, sicut beatus Innocentius ad Decentium Eugubinum scribit episcopum (*epist. 29, in princip.*), « manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur amittere. » Sed et quia, ut beatus Cælestinus, ejusdem primæ sedis episcopus, ad Venerium et cæteros Gallicanos dicit episcopos (*epist. 8*): « Non est agentium causa solorum, quando universalis Ecclesia quacunque 562 novitate pulsatur; » et ad Nestorium Constantinopolitanum scribens (*epist. 5, in fine*) decernit « quod omnes debeant nosse quod agitur quoties omnium causa tractatur, ad omnes vox nostræ humilitatis emittitur, » quia licet de rege et regina, viro scilicet et uxore, qui secundum sacram auctoritatem jam non sunt duo, sed una caro, tractetur, de causa omnium generaliter agitur, quæ sacramentum magnum a divino Apostolo in Christo et in Ecclesia appellatur (*Ephes. v, 32*), in quibus salus universorum consistere creditur. De Christo enim Petrus apostolus protestatur. *Quia non est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (Act. iv, 12)*; et sicut in diluvio omnes perierunt quos non arca continuit, ita nemo salvari potest qui fide recta et bonis operibus in unitate sanctæ Ecclesiæ non permanserit.

Sed et hac spiritali ratione prælata, de tam eminentissimi nominis dignitate et talibus personis causa non exigua ventilatur, ut reges terræ, et omnes populi, principes, et omnes judices terræ, juvenes et virgines, senes cum junioribus, in hac intendere debeant, et judicii veritatem, et sacerdotalem consensum, et regis mansuetudinis, patientiæ et dile-

ctionis studium erga honorem suum; unde scriptum est: *Honor regis judicium diligit (Psal. xcvi, 4)*; et: *Justitia firmatur thronus ejus (Prov. xxv, 5)*; et item: *Justitia et judicium, præparatio sedis tuæ (Psal. lxxxviii, 13)*. Et licet sint aliæ virtutes sine quibus ad regnum non pervenitur æternum, tamen sine his tribus quas posuimus, tyrannus fieri potest, regnum autem salubriter nemo potest obtinere terrenum, id est sine mansuetudine, *quia mansueti hæreditabunt terram (Matth. v, 4)*; sine patientia, *quia melior est patiens viro forte, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium (Prov. xvi, 32)*; et: *In patientia vestra possidebitis animas vestras (Luc. xxi, 19)*; sine vera dilectione, de qua dictum est: *Qui diligitis Dominum, odite malum (Psal. xcvi, 10)*, *quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam (Psal. x, 6)*. Et item in psalmo scriptum est: *Intende, prospere procede et regna: propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam (Psal. lxiv, 5)*, quia veritatem exsequens, mansuetudinem cum justitia conservabit, ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere derelinquat, nec rursus pondus mansuetudinis rectitudinis zelo perturbet, quoniam, ut Sapientia dicit: *Rex qui sedet in solio judicii dissipat omne malum intuitu suo (Prov. xx, 8)*; et item: *Rex qui judicat pauperes in veritate, thronus ejus in æternum fundabitur (Prov. xxix, 14)*.

Ex sacerdotalis vero consensus atque discriminis parte Domino dicitur: *Misericordia tua ante oculos meos est, complacui in veritate tua. Non sedi eum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua (Psal. xxv, 3)*. Sed, ut sanctus dicit Gregorius (*Moral. xxx, cap. 6*): « Video alios quibus per locum magisterii exhortandi sunt officia arguendique commissa, quia vident aliquid illicitum admitti, et tamen dum quorundam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid aliud facit, nisi videt 563 lupum venientem et fugit? Fugit, quia tacuit; tacuit, quia, despecta æterna gratia, temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sua se latebras silentii abscondit, et sicut persecutioni publice, sic occulte locum dedit timori. Bene de talibus dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei. (Joan. xii, 43)*. Quisquis igitur talis est, si hæc districtè judicantur, et si persecutio publica defuit, tamen tacendo Christum negavit. »

Judicibus autem præcipitur: *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum (Psal. lvii, 1)*. Ut cum quisque mortalium judicium dederit publicum, si verum loquitur, verum et judicet,

nec ponat blanditiis sermonum muscipulam deceptionis, per quam occulte interimat innocentes, attendens quia homo videt in facie, Deus autem in corde; et si oculus, id est intentio cordis, simplex fuerit, totum corpus, id est omnis actio lucida erit: si autem ipsa intentio tenebrosa fuerit, jam tenebræ, quæ in actione erunt, ut modum, ita et nomen tenebrarum pene excedunt. Et sanctus Gregorius dicit (*Moral. xxix, cap. 6*): « Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut, requisiti ab eo, pro favore ejus non dubitent in causa proximi veritatem negare. Et quis est veritas, nisi ille qui dixit: *Ego sum via, veritas, et vita?* (*Joan. xiv, 6*.) Neque enim Joannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus, occubuit: sed quia Christus est veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate pervenit. » Et beatus Beda (*in Lucam, cap. 22*): « Multi hodie Judæ scelus, quod Dominum ac magistrum Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane et nefarium exhorrent, nec tamen cavent. Nam cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Dominum pecunia vendunt. Ipse enim dixit: *Ego sum veritas*. Cum societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, Dominum produnt, quia *Deus caritas est* (*I Joan. iv, 8*); qui, etiam si nullus pecuniam det, Dominum argenteis vendunt, quia principis sæculi imaginem, id est exempla hostis antiqui, neglecta Couditoris, ad quam creati sunt, imagine, sumunt. » Ille etiam Dominum vendit, qui, ejus amore ac timore neglecto, terrena et caduca, imo etiam criminosa, plus amare et curare convinctur. Cum hæc ita se habeant, necesse est et ecclesiasticis et publicæ rei iudicibus, ut ita sub oculis superni iudicis in quacunque causa, et de quacunque persona decernant iudicium, quatenus non sit in eodem iudicio aliquid fermenti malitiæ, doli, plauditis, simulationis sive cupiditatis, vel spes cujuslibet acquisitionis, sed totum azyma sinceritatis et veritatis, id est iudicium justitiæ, æquitas veritatis, puritas veritatis, ne, quod absit, maledictionem iudices incurramus, quæ generaliter a nobis ipsis et a cuncta imprecatur Ecclesia in dicto prophetæ: *Muta fiant labia dolosa* (*Psal. xxx, 19*); et: *In corde & corde locuti sunt, disperdat Dominus universa labia dolosa* (*Psal. xi, 3, 4*), quæ aliud dicunt et aliud corde abscondunt, a quibus interdum constat 564 quod dicitur, sed alio sensu interpretantur quod dicunt, quam teste conscientia sentiunt. » Et sanctus Hieronymus in Commento Matthæi (*cap. 26*) dicit: « Falsus testis est qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. » Et de quibus iterum scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos* (*Psal. cxxxix, 10*), quando operientur sicut diploide confusione sua (*Psal. cxviii, 29*), id est ponentur sicut clibanus ignis in tempore vultus Dei (*Psal. xx, 10*); videlicet ut interius et exterius ardeant in sæculo jam venturo. Qui aliter ante conspectum illius, cui cogita-

tio hominis contitetur, liberi iudices esse non possumus nisi ex corde et ore vera dicamus: vere, quia tunc juste iudicemus, et hoc etiam cum timore et tremore, ne forte ignorantia delinquamus; quoniam, cum sit dictum: *In quo iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis* (*Matth. vii, 2*); et: *Si non reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia* (*II Joan. iii, 20*); et ideo in his etiam quæ apud homines certa sunt, securi esse non possumus, scientes, ut Paulus dicit, quia *Dominus est qui nos iudicat* (*I Cor. iv, 4*), qui sæpe iudicio humano iustificamur.

Quapropter regibus scribimus, ut quos Deus ideo in tam excellentissimo loco posuit, ut a subjectis omnibus valeant conspici, et ad speculi vicem haberi, quatenus pravis et rectis vel terrori esse debeant vel amori, illa satagant facere de quibus nemo subjectorum eos juste valeat reprehendere, et ea studeant summopere devitare quæ in subjectis pro ministerio sibi a Deo imposito necesse erit corrigere, ne audiant a redarguente se Apostolo: *Existimas ergo, o homo, qui iudicas de his qui talia agunt, et facis ea, quoniam tu effugies iudicium Dei?* (*Rom. ii, 3*.) Et iterum scriptum est: *Iudicium dnrissimum in his qui præsumunt fiet* (*Sap. vi, 6*). Et sanctus Spiritus per beatos viros Benedictum et Cyprianum confirmat quia unusquisque rex de omnibus iudiciis suis æquissimo iudici Deo rationem reddet in die iudicii, et pro tantis rationem reddet, quantos sub cura sua habuerit, sine dubio addita et animæ suæ: et sicut in throno hominum primus constitutus est nisi se et sibi commissos bene rexerit, quantum cum Dei ajutorio prævaluerit, omnes quoscunque peccatores sub se in præsentis sæculo habuit, supra se modo plagali in illa futura pœna habebit.

Ad consacerdotes autem nostros, ac per hoc ad nos ipsos, sermo noster dirigitur, ut ea doceamus quæ Dominus docuit, ea prædicemus quæ ipsi obnoxius conservemus; quia sicut scriptum est: *Interroga sacerdotes legem meam* (*Agg. ii, 12*), ita nihilominus a Domino dictum est: *Tu audiens nuntiabis eis ex me* (*Ezech. xxxiii, 7*); audiens autem, vel inspiratione superna, vel lectione divina, de quibus scriptum est: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal. lxxxiv, 9*); et: *Scrutamini Scripturas* (*Joan. v, 39*); et: *Lex Domini irreprehensibilis convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis* (*Psal. i, 8*). Quod vero subsequitur, *Nuntiabis eis ex me*, ex me, inquit, non ex te, quia non adulatorie neque mobiliter pro voluntate humana, sed sincere atque constanter quæ a Deo, sive sacra Scriptura, sive 565 sanctorum magistrorum doctrina, didicit prædicator, debet auditoribus suis proponere, et sicut de nobis, utinam non ad iudicium nostrum, dicitur auditoribus: *Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi; majores tuos, et dicent tibi* (*Deut. xxxii, 7*); et per nos eisdem præcipiendo suggeritur: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal. xxxiii, 12*).

ita et alibi dicendo contra nos queritur: *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam* (Isa. lvi, 11), quia intellectus bonus omnibus facientibus eum; et *tenentes*, inquit, *legem nescierunt me* (Jer. 11, 8), quoniam qui fide et operibus, vita et moribus, verbo atque exemplo, commissis non prædicant, licet nominatenus colant, secundum veritatem Dominum nesciunt, juxta quod scriptum est: *Qui ignorat, ignorabitur* (I Cor. xiv, 38), videlicet reprobabitur. Quocirca non est unde securi, nisi de misericordia Dei, esse possimus, de quorum manibus tantorum sanguis in die magni judicii exigetur, quanti sine nostra commonitione in suis iniquitatibus pereunt, dicento Domino ad unumquemque episcopum: *Quia si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, et ille iniquus non fuerit conversus a via sua prava, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (Ezech. 11, 18). Timendum est etiam ne dicatur ab inspectore conscientiarum, quanto magis operum, nobis: *Clavem scientiæ tulistis, ipsi non introistis* (Luc. xi, 52), et alios qui introire poterant, licet verbo admonuissetis, opere destruxistis. Et sciendum est, et cum timore ac tremore maximo continue recolendum, quia sicut spiritalius, ac proinde majus, tanto est periculosius episcopale quam regium ministerium, quanto et pro ipsis regibus rationem reddituri sumus Regi regum et Pastori pastorum in die tremendi examinis.

Ad cunctos etiam in sinu catholicæ Ecclesiæ collocatos hinc loqui decrevimus, ut et ipsi talia committere caveant, et quantum ex ipsis est, agentibus non consentiant et per adulationem non faveant. De qualibus mirabilis dicit Apostolus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (Gal. v, 21); et item: *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt illa, sed etiam qui consentiunt facientibus* (Rom. 1, 32). Quæ idcirco in hac schedula enumerare omisimus, ne aliis dominis et consacerdotibus nostris, qui illa sufficienter sciunt, et melius ac congruentius nobis suis auditoribus exponere sapiunt, fecisse injuriam videamur, præsertim cum frequenti apostolica lectione cunctis Ecclesiam visitantibus inculcentur.

Hæc nostra eorsum præmissa tendit locutio, quia nuper ad nos quidam ex ecclesiastico, quidam vero ex laicali ordine, et pro officii sui loco ac pro religionis merito, nec non et pro devotionis atque nobilitatis suæ cultu, non contemnendæ personæ, quemdam libellum, cujus hic textum subjunximus, cum propositis quæstionibus dixerunt, petentes humiliter per Dominum nostrum Jesum Christum, qui dixit: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis* (Matth. xviii, 10); et: *Omni petenti te tribue* (Luc. vi, 30); et: *Volenti mutuari a te ne avertaris* (Matth. v, 42); et: *Ne dicas amico 566 tuo: Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare* (Prov. i, 28); et per beatum Petrum Ecclesiæ suæ jussit rectoribus ut parati sint ad satisfactionem omni po-

ascendi se rationem reddere (I Petr. iii, 15); quoniam qui abscondit frumenta, id est sacri eloquii documenta, maledicitur in populis, benedictio autem Domini super caput vendentium (Prov. xi, 26); quia docens ea quæ Domino docente didicit, majorem docendi gratiam et ipse merebitur ab auditoribus, pretium fidei et confessionis recipiens, ut illorum petitionibus nullatenus negligeremus neque dissimularem, aut sub aliqua excusatione differremus, sed quantotius, tacitis eorum nominibus a quibus hæc proposita fuerant, quibusque de propositis rescriberemus quæ ex his secundum Scripturarum auctoritatem et catholicorum Patrum doctrinam, nobis Dominus dederit, per singula, sicut proposuerant, respondere breviter studeremus. De quibus scribere nihil vellemus, sed vel sapientium doctrinam audire, vel quæ sentimus verbo tantum enuntiare; et si erat scribendum, forte possemus congruentius dicendi ordinem texere, si talium ac tantorum adjuratione voluissemus aut valuissemus negligere. Unde legentes hæc quæ de sanctis Scripturis et Patrum traditionibus eorum propositionibus rescribemus, non nos de responsionum ordine inordinato succenseant, et si ad talia quæ ad hanc rationem fortassis non pertinent, eorum tracti quæstionibus derivamus, non nos pro superfluitate refugiant, neque nostræ sinceritatis responsionem quisquam ad injuriam sui retorqueat, quoniam nos, dicti Dominici memores, *Non accipiam personam in judicio* (Deut. 1, 17); et item dicente sanctos apostolos, quorum, licet indigni, vices agimus, pro modulo nostro imitantes, *Non enim, inquit, possumus quæ audivimus et vidimus non loqui* (Act. iv, 20), de quibus interrogati sumus, non nostra, sed vel Scripturæ divinæ, vel eorum dicta, per quos Dominus locutus est, et a quibus illa didicimus, prout permisit brevitatis temporis, et occurrit memoriæ, propositis quæstionibus, imo quærentium præmittentes quæ interrogaverant, solutionibus sine adulatione respondere curavimus. Et idcirco generaliter ad omnes scripsimus, quia ad omnium ordinum personas causam pertinere cognovimus, eos prodere, qui nobis proposita transmiserunt, prohibiti cum adjuratione præscripta sumus. Dei autem Dominus in os nostrum sermonem directum bene sonantem, ut possimus ad ea de quibus interrogati sumus, convenienter collecta proferre verba eorum, quibus Dominus dicit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. x, 10). Det etiam gratia Domini nostri Jesu Christi, *qui vult omnes homines salvos fieri* (I Tim. ii, 4), et neminem vult perire, ut placeant per nostræ humilitatis servitatem dicta sanctorum excerpta in conspectu audientium ea, quibus generaliter Deus dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit* (Joan. viii, 47). Quique discipulis suis dixit: *Qui vos audit, me audit* (Luc. x, 10), et removeat ab omnium audientium interiore cordis auditu obaudiendi duritiam, qui jussit removeat a sepulcro Lazari lapidem, et auferat inobediendi vecordiam,

qui olim promiserat per Prophetam : *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum ; et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini* (Ezech. xxxvi, 26) ; ne eis, quod absit, contemnentibus sanctorum suorum consilia, quibus dixerat : *Qui vos spernit, me spernit* (Luc. x, 16), quod est valde terribile dicat : *Propterea vos non auditis, id est non obeditis, quia ex Deo non estis* (Joan. viii, 47).

Et nemo nos exsecret impudicos de hujusmodi impudicitias, quas verecundæ aures erubescendo refugiunt, sermocinantes, quia timore Christi, quem in se locutum fuisse veraciter dixit, Paulus inter alia de talibus disputavit, illa quæ ex interrogatis sentire poterimus, nequaquam tacere audebimus, arreptente nos eo atque dicente : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum* (Luc. ix, 26).

Nemo etiam debet exacerbari audiens turpitudines infirmitatum quas venenata diabolicæ malignitatis calliditas humanæ infligit, fragilitati, sciens se, secundum Apostolum (Hebr. v, 2), circumdatum esse infirmitate, et considerans seipsum, ne forte et ipse tentetur. Neque debet metuere, beato dicente Gregorio in Regula pastorali (Pastor. xi, cap. 5), « ut dum aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur, quia et

A hæc eadem, per quam populi multitudo in lutere, jubente Domino, per Moysem facto diluitur, aqua procul dubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timenda sunt, quia, Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius a sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur. » Et tanto alienarum infirmitatum impuritates et patienter audire, et infirmis medicinali consilio, prout cuique expedire viderit, debet modis omnibus subvenire, quanto Deum, ut ipse per prophetam dicit (Jer. vi), sustinendo laborare in nostris iniquitatibus, et occulta decora nostra, et ipsarum etiam cogitationum immunditias conspiciere, et misericorditer portare, diutina expectatione ignorare non potest. Unde sanctus Augustinus in libro quarto contra Julianum, dicit : « Nos certe, si eos in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ utique si nolisset, nulla ratione permitteret? et tamen justus et bonus est, et quod post patientiam dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire. » Quod cur fiat sanctus demonstrat Gregorius (hom. 13 in Evang.) exponens Scripturæ testimonium : *Attissimus est enim patiens redditor* (Eccli. v), « quoniam et patitur mala nostra et reddit. Nam quos diu ut convertantur tolerat, non conversos durius damnat. »

368 INTERROGATIO PRIMA.

Aiunt enim primo capitulo : Uxor domini regis Lotharii primo quidem reputata est de stupro, quasi frater suus cum ea masculino concubitu inter femora, sicut solent masculi in masculos turpitudinem operari, scelus fuerit operatus, et inde ipsa conceperit, quapropter ut celaretur flagitium potum hausit, et partum abortivit. Quæ ipsa denegans, probationis auctore testibusque deficientibus iudicio laicorum nobilium et consultu episcoporum, atque ipsius regis consensu, vicarius ejusdem feminæ ad iudicium aquæ ferventis exiit, et postquam incoctus fuerat ipse repertus, eadem femina maritali toro ac conjugio regio, decreto quo suspensa fuerat est etiam restituta. Sicque post spatium temporis, nescimus utrum de eadem re an de commisso post initum conjugium, a quibusdam episcopis talis sicut vobis transmittimus conscriptus habetur libellus, et per quorundam ora vulgatur, quia per secretam confessionem, quam libellus iste designat, vos cæteri omnes episcopi, assumpta parabola, eam debeatis funditus a martiali connubio remove, et si etiam amplius exegeritis, cogetur vobis dare libellum manu sua firmatum, ut sicut Ebo quondam Rhemorum episcopus per libellum secretæ confessionis a sede et ordine est submotus, ita et ista per libellum secretæ confessionis a martiali removeatur consortio,

C Sed et de venerabili Rhemorum archiepiscopo nobis est dictum quoniam tali facto consentiat, et per episcopos, Wenilonem scilicet Rothomagensem archiepiscopum, et Hildegarium episcopum, verbo vices suas impleverit, et per Adventium, qui cum eo Rhemis pro hac causa locutus fuerat, litteras consensus sui ad placitum regis et ad conventum episcopalem direxerit, et per eundem Adventium litteras suas exinde ad apostolicam sedem transmiserit. Unde quid inde ex veritate secundum auctoritatem tenendum sit, a vobis per veritatem, quæ Deus est, remandari nobis deposcimus.

Textus autem libelli octo capitulorum hujusmodi esse digposcitur :

D CAP. I. « Nos episcopi, qui in Aquensi palatio nuper vocati convenimus, quid ibi sensimus, quidve reperimus, ad notitiam fratrum et coepiscoporum deducere curamus, ut ipsi aurem cordis et corporis accommodantes discernant, et unanimi consilio inveniant quem exitum et quem finem hujusmodi causæ imponant.

CAP. II. « Gloriosus rex Lotharius, familiare et secretum colloquium nobiscum habens, humiliter devota puritate suas speciales ac proprias necessitates, consilium et remedium querendo, exposuit. Nos quoque suæ bonæ voluntati congratulantes, lacrymis ipsius et suspiriis invitati, et ad compassio-

nem flexi, Domino inspirante, petenti, quærenti et pulsanti, consilium dedimus et medicinale remedium adhibuimus.

569 CAP. III. « Tunc isdem rex lugubri voce, quod nos quidem non sine mœrore et dolore prosequimur, cœpit nobis dicere de sua uxore, quam desideraverit habere, quod ipsa obnixis et continuis precibus postularet ut vinculis conjugalibus absoluta, maritali videlicet toro, ut ipsa testabatur, indigna, sacrum velamen suscipere, et Christo Domino servire mereretur.

CAP. IV. « Interea missus ipsius reginæ nos accersivit, orans ut illam adire non tardaremus. Ad quam non accedentes, ipsa occurrere festinavit, et pene ad pedes nostros devoluta, cœpit his verbis multum imprecari, propter Deum, inquit, et propter ministerium vestrum, obsecro vos ut mihi verum consilium detis.

CAP. V. « Cui nos e vestigio respondentes: Utinam, aimus, Dominus nobis consilium, quod tibi veraciter et salubriter demus, administret: tantum tu dic nobis pura et veraci tuæ conscientie confessione, qui est unde concilium tam expressa obtestatione requiris; quia aliter tibi quod petis præstare non possumus, nisi rei veritatem agnoscamus. Hoc tamen præmonemus, tibi que diligenter prohibemus Dei et nostra auctoritate, ut nec alicujus suasionem, imo deceptionem, ad alios honores invitata, nec timore cuiuslibet pœnæ vel mortis aliquod tibi crimen falso confingas, et nos, quod absit, in errorem inducas: sed, sicut superius monuimus, rei veritatem, sicuti est, nec plus nec minus pandas, nosque, Domino donante, consilium et auxilium tibi præstare decertabimus, ut nequaquam a tua justitia in aliquo defrauderis.

CAP. VI. « Nequaquam, ait illa, teste Deo et propria conscientia, teste etiam meo confessore, aut a dextris aut a sinistris aliter dicam, vel de me fator, nisi quemadmodum in veritate est. Recognosco, inquit, et de me ipsa scio, quia non sum digna in conjugali copula permanere; et inde vobis testem adhibeo præsentem episcopum Guntharium, cui ego confessa fui: ipse enim novit quia ego non sum digna. Quæ etiam mox se vertens ad ipsum episcopum, implorando aiebat: Rogo, inquit, episcopo, ut istos tuos confratres, sicut melius scis, intelligere facias quia ita est sicuti de me testimonium perhibui. Cui memoratus episcopus: Bonum est, inquit, et tu ipsa istis meis confratribus quod adhuc latet aperias, quatenus ex tuo proprio ore quod dijudicent audiant. Et illa: Quid necesse est, ait, ut aliter dicam nisi sicut tu nosti? propter Deum tibi sit, ut tu eis manifestes meam necessitatem, quo pariter cum seniore meo mihi licentiam detis, ut quod desidero faciam; quia, inquit, pro toto mundo nolo meam animam perdere: et ideo rogo vos propter Deum et propter ministerium quod suscepistis, ut mihi quod postulo ad salutem animæ meæ non denegetis.

CAP. VII. « Tunc nos episcopi tentantes requisi-

vimus an ipsa ulterius vellet inde aliquam querimoniam movere, aut aliquas insidias moliri, si suæ petitioni satisfactum fieret. Ad quod illa libera voce: Per eam fidem quam colo, ait, vobis coram Deo promitto quia in æternum nec per meipsam, nec per meum ingenium ullam inde querelam movebo.

CAP. VIII. « Quid denique a sæpessato confratre nostro, de hac re multum tristante, et angustiante, ac lugente, atque quod unquam illius confessionis 570 conscius exstitit admodum pœnitente, didicimus, hoc fratribus et coepiscopis, juxta conditionem datæ licentiæ, viva voce narrandum est, ut sicut in primordio dictum est, cum argumenta hactenus latentis causæ perceperint, uno eodemque omnes consilio et consensu errorem expellant et verum statuunt. »

RESPONSIO.

De hujus libelli serie superfluum duximus per singula quasi respondendo disserere, cum ipse sibi sufficiat ea quæ continet demonstrare, et nec nostræ laudis assertionem indigeat nec vituperationem refugiat. Tamen quod in quinto capitulo ipsius relegimus dictum de qua agitur feminæ: « Hoc præmonemus, tibi que diligenter prohibemus Dei et nostra auctoritate, ut nec alicujus suasionem, imo deceptionem, ad alios honores invitata, nec timore cuiuslibet pœnæ vel mortis, aliquod tibi crimen falso confingas, et nos, quod absit, in errorem inducas, » mirum est si ante non fuit cognitum quod ab ea erat dicendum, cur talia eidem feminæ ante confessionem fuere præmissa: et si pluribus quæ dicenda erant ante fuerunt percognita, cur quasi sub secreta confessione quæ dicta sunt profiterentur esse recepta. Sed hoc modo accidere potuisse putamus, quia sicut legitur in litteris divinitus inspiratis, non semper adest prophetis spiritus prophetiæ, dicente Eliseo de Sunamite ad Giezi puerum suum: *Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi (IV Reg. iv, 27)*; et quando vult iterum idem spiritus adest prophetis. Unde et Achias, divino Spiritu inspiratus, ad uxorem Jeroboam dicit, mox ut audivit sonitum pedum ejus introeuntis per ostium: *Ingrederere, uxor Jeroboam, quare te aliam esse simulas? (III Reg. xiv)*. Quapropter si Domini Spiritus, quoniam, testante Apostolo (Ephes. iv, 11), et pastores Ecclesiæ prophetae sunt, revelavit auriculam alloquentium mulierem, ad se cum simulatione fortassis advenientem, in potestate ipsius spiritus est, qui *ubi vult spirat*, ut occulta revelatione illis suggesserit, eidem mulieri Dei sua auctoritate præcipere, ne eis simulata præsumeret quoquomodo indicare. Nos autem de incertis disputare non volumus, qui certa ex Scripturarum auctoritate proferre valemus. Nam de adhortatione ad confessionem dictum legitur: *Revela Dominam tuam, et spera in eum (Psal. xxxvi, 5)*. De subsequente autem adhortationem confessionem iterum legitur: *Dixi: Pronuntiabo injustitiam meam Do-*

et tu remisisti impietatem peccati mei (Psal. A 571). Huic quoque confessioni a Domino repensa missio, non punitio, quæ non est extorta per a, sed prolata ad indulgentiæ spem per meditationem, ut item dixit : *Et ex voluntate confitebor ei* (Psal. cxxvii, 7); nec invitata ad aatem honorem, sed ad futuram beatitudinem, scriptum est : *Vanum est vobis ante lucem esse : surgite postquam sederitis, qui manducatis doloris* (Psal. cxxvi, 1, 2). Ille enim **571** nocem surgit, qui a Dei custodia per negligentiam mandatorum ejusse alienans cadit, et ante diem i sæculi in hac vita quæ nocti est similis, homo extolli ac proficere appetit. Sedendum ergo est per pœnitentiam, ut post recte surgamus indulgentiam, quia quisquis nunc se sponte per B sententiam non humiliat, nequaquam hunc sequens exultat. Qualiter autem non exaltari, sed humili per confessionem et pœnitentiam debeamus, ius in Evangelio Lucæ habitum pœnitentis instruat, dicens : *Olim in cinere et cilicio sedentiam egissent* (Luc. x, 13); et in psalmo : *Iavi in jejuniis animam meam* (Psal. xxxiv, 12); *adiebam me cilicio* (Psal. xxix, 8); et : *Factus conturbatus* (Psal. xxix, 8); et : *Cinere tantum panem manducabam, et potum meum cum fletu bibam* (Psal. ci, 10); et : *Vigilavi, et factus sum passer solitarius in tecto* (Psal. v, 8). Unde et canones jubent (Conc. Agat., can. 15) ut pœnitentia tempore quo pœnitentiam petunt, impositio manuum et cilicium super capita a sacerdote, C ubique constitutum est, consequantur. Et conc. 10) : Manus impositionem, cujus crimen tantum est, ante absidem accipiat; quod unius publice pœnitens ab episcopo suo, de cujus vita est, debet suscipere. Illud autem quod aliter lædit Ecclesiam, a synodo, id est concilio episcopali, medicabiliter debet sanari. Et miro hic libellus episcopalem, qui pro causa generari debet, et secretam describit confessionem, specialem postulat medicinam.

Et septimum capitulum, in quo tentando inquitur femina jam designata, ut ibi scriptum est : *Utrum inde aliquam vellet querimoniam referre, aut aliquas insidias moliri, si suæ petitioni actum fletet,* » ex quo juratio demonstratur, tarditatis nostræ est ingeniolo suspectum; D nobis nihil est inde responsum, ne deviare legali tramite aut a capituli semita videamur. Et etiam quod in præmissi libelli octavo capitulo scriptum est : « Quid denique a sæpe fato concilio nostro de hac re multum tristante, et angustante, ac lugente, atque quod unquam illius concilii conscius exstitit admodum pœnitente didicimus, hoc fratribus et coepiscopis juxta conditionem licentiæ viva voce narrandum est, ut sicut in medio dictum est, cum argumenta hactenus his causæ perceperint, uno eodemque omnes homo et consensu errorem expellant et verum

statuant, » sciant et quicumque venerandi episcopi, et reges gloriosi, et omnes in sinu matris Ecclesiæ collocati, quia hanc latentem causam sub hac conditione potius ignorare quam scire volumus, pro causis quas ostendemus. Videlicet, quia nimis habemus de peccatis nostris, et nobis a secrete contentium devotione confessis, et a nobis subditis publice et pondere gravi commissis, ad quæ defendenda oculi nostri nequaquam sufficiunt : quanto magis illa quæ latent, et per alios sanari melius quam per nos possunt et abluere, curiositate, quæ grave est, ut dicit Gregorius, vitium, illa discere et audire queramus. Unde superadjecto cumulo **572** sic luceamus, sicut ille pius et sanctus vir, cui illa femina confessa fuit, tristissimus et angustians atque pœnitens, quia illius confessionis conscius fuerat, sicut ibi scriptum est, luxit. Sed legimus quia luxit Samuel Saulem, quoniam abiecit eum Dominus, ita ut Dominus diceret ei : *Usquequo tu luges, Saul, quoniam ego abieci eum?* (I Reg. xvi, 7.) Sed non legimus eum cuiquam manifestasse pro quo illum peccato luxerit, nisi ipsi Sauli, et quantum lacrymæ ipsius inde Domini auribus intimarunt.

Alterca causa est quia Spiritus sancti oraculo cautum esse dignoscitur ut quique peccantes peccatorum suorum latentes causas spiritalibus senioribus patefaciant, qui sciant et sua et aliena vulnera curare, et non detegere ac publicare. Et propterea in sacris canonibus Africani concilii scriptum habetur (can. 99). Ut si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad injuriam suam episcopus pertinere quod illi soli non creditur; et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quandiu excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis non potest convincere. Quid est enim crimen confesso nolle communicare, nisi confessionem criminis publicare? Et quantiscunque episcopis femina ipsa secreta confessione delictum suum prodiderit, sic quasi uni dixerit, secretum haberi debet. Unde Augustinus exponens sententiam Levitici : *Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam* (Levit. v), ita dicit (*Quæstionum in Lev.*, lib. iii, c. 1) : « Hoc enim, inquit, videtur dicere, peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, et scit eum falsum jurare et tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua juratur testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit, id est, aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui jurat illi indicavit, ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem hujus peccati, et timorem proditoris hominum, non parva exstat plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato revocare; sed si non audierit, et coram nobis de re quæ nobis indica-

verat falsum juraverit, utrum prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit cui hoc indicandum esset, utrum illi cui adjuratur, an sacerdoti, vel cuiquam qui non solum eum qui persequi non potest irrogando supplicium sed etiam orare pro illo potest, videtur mihi quod se homo solvat etiam a peccati vinculo, si indicet talibus qui magis possunt prodesse quam obesse perjuro, sive ad corrigendum, sive ad Deum pro illo placandum, sive ipse confessioni adhibeat medicinam et cætera quæ ibi prosequitur. » Quod autem de uno peccato diximus, de aliis etiam **573** debet intelligi. Et Salomon dicit : *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana ; qui autem fidelis est, animi celat commissum* (*Prov. xi, 13*). Et sanctus Gregorius in Pastoralis regula (*part. ii, cap. 5*) dicit : « Tales, inquit, sese qui præsumunt exhibeant, quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant ; ut cum temptationum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem, quasi ad matris sinum, recurrant ; et hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio ac lacrymis orationis lavent. » Et notum de seipso unicuique constat, quia nemo est qui prælato suo peccata sua prodere non erubescat, si se denudari vel publicari putaverit. Et in Carthaginensi concilio præcipitur (*conc. Carth. iv, can. 23*) : « Ut episcopus nullius causam audiat, de qua ei necesse erit publice judicare, absque præsentia clericorum suorum ; alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi præsentia clericorum suorum confirmetur. » Et Dominus in Evangelio delinquentem, adhibito uno vel duobus præcipit commoneri (*Matth. xviii*), ne quando ad Ecclesiam fuerit deferendum, qui monuerat, non corrector, sed, deficientibus testibus, judicetur potius criminator.

Tertia causa est quia de absconditis judicare non possumus, nec debemus, quæ nos latent, sicut et hæc causa, quæ latens in ante fato libello pronuntiatur, et nesciri a nobis perpetuo cupitur, si secreto consilio sanari nequitur. Et quoniam de latentibus judicare non possumus, beatus Innocentius ad Exuperium Tolosanum scribit episcopum (*epist. 11, cap. 4*), requirentem cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur, cum super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnet. [Quia viros suos, inquit, mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt ; et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communicatio denegatur : vicorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur, qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.]

A Textus libelli septem capitulorum taliter continetur.

CAP. I. « Postquam dominus noster Lotharius, serenissimus ac gloriosissimus rex, Tetbergam cum consensu et voluntate fidelium suorum ad conjugium more regali sibi sociavit, et discordiarum querelæ inter eos cœperunt exoriri, dictum est eidem principi a quibusdam quomodo memorata Tetberga scelus quoddam horribile ac nefas patratum vulnus occultum in animo sive in corpore haberet, in quo Deum graviter offensum haberet, pro quo etiam illi non esset digna, neque liceret vel cum deceret ad conjugium eam amplius habere.

CAP. II. « Ex opinione vero præmissa, quæ de illa per ora quorundam volitabat, præfatus rex in conspectu fidelium suorum secreta ac manifeste **574** frequenter collocutus fuit, et cum eis rationes habuit, unde iudicium postea per ipsorum consilium exstitit factum, sed non divina pietas indulgens rei veritatem manifestare voluit, sed cum postmodum ad fratrem suum Ludovicum imperatorem in Italiam devenisset, illuc apertius patratum scelus est illi manifestatum.

CAP. III. « Proinde ne suspicio ista et nequissima fama de uxore regia diutius inexaminata aut improbata maneret, quatenus idem dominus noster certior securiorque effectus de hac causa, cum quæ illi agenda erant more regali liberius exsequerentur, convenerunt jussu ejusdem principis, anno videlicet Incarnationis Dominicæ 860 et regni ejus v, indictione viii. v Idus Januarii, Aquis palatio, Guntharius sumnus capellanus et Theotgaudus archiepiscopi, Adventius et Franco episcopi, Hegil, et Odelinus abbates, sive alii fideles ejus. Quibus omnia superius inserta referens, jubendo monuit præscriptos episcopos atque abbates, dirigens ad illam ut de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, sicuti et fecerunt. Nam ipsa confessæ est eis, coram Deo et angelis ejus, omnia quæque in illa erant, omneque secretum juxta exortam famam penitus apparuit illis, ipsique reversi nuntiaverunt prædicto regi quod ad uxorem non liceret illi eam habere.

CAP. IV. « Primus Guntharius dixit : Confessæ est Deo et nobis quod vulnus in se haberet interius, non tamen sua sponte, sed violenter sibi illatum, pro quo indignum se esse omnino judicavit ad regalem sive maritalem torum jam ulterius accedere, et nullatenus posset pro prædicto scelere, quod turpe est dicere, conjugium famulare cum eo, vel cum quolibet amplius habere : et ideo deprecata est licentiam sibi dari mutandi sæcularem habitum, et virili commistione discedendi, nulla interveniente fraude iracundiæ, vel etiam voluntate, quam contra eundem regem haberet, sed ut, illa discedente, ipse animo et corpore solaretur, et ipsa quod inique egit, per Dei misericordiam, et eorundem episcoporum orationes, deflare potuisset.

CAP. V. « Adventius dixit : Hoc me facinus et

factum hactenus latuit, et nefas est illud ut deinceps more maris et feminæ simul conveniatis. Et si tamen, ut prius fuit, vobis esset amabilis et dilecta, darem vobis consilium secundum ministerium mihi commissum, et probarem omnino ne ulterius lateri vestro sociaretur sicuti conjux, sed juxta petitionem ejus velum accipere et habitum mutare hoc permetteretis.

CAP. VI. « Similiter Teotgaudus archiepiscopus dixit atque consensit.

CAP. VII. « Egil abba, vice ejusdem Tetbergæ, ita faciendum suasit et petiit ut, quia non sua sponte, sed vi oppressa rem nefandam perpetraverat, tribueretur ei facultas velandi, et locus quo patratum vulnus sanaret: quod vero simpliciter, et nullo incumbente timore, aut qualibet occasione vel voluntate, sed pro Dei amore et animæ suæ solutione petebat. »

De hoc libello rationabilius tacere quam respondere delegimus, quoniam sicuti præmisso irrationabilitate ex majori parte habetur 575 consimilis, ita veritati et rationi adeo habetur dissimilis, ut credi non debeat a præfatis confectus episcopis.

Sed et in quodam tomo, quem ex integro propter sui prolixitatem hic scribere devitavimus, cujus initium est: « Anno ab Incarnatione Domini 860, indictione VII, mediante Februario mense, decernentibus gloriosis regibus Ludovico, Carolo atque Lothario juniore, in generali conventu optimatum ex regno almi Lotharii, actum et concilium episcoporum Aquisgrani palatio, Guntharii Agrippinensis, Theotgaudi Treverensis, Wenilonis Rothomagensis, Franconis Tungrensis, Hattonis Virdunensis, Hildegarii Meldensis, Hilduini Aviniensis. »

CAP. XV. Ad locum de femina unde agitur, ita scriptum reperimus: « Porro illa, nulla securitate hoc celandi aut superandi fulta, primo regi ordinem perpetrati reatus, ut fama fuerat, enarravit. Deinde quibusdam episcoporum simul et laicorum id ipsum enucleavit. Postea quoque chartulam suæ confessionis suo rogatu conscriptam, in nostra omnium et multorum laicorum præsentia, in manu gloriosi regis Lotharii porrexit, moxque coram omnibus palam locuta: Domine mi rex, inquit, propter Deum rogo, et propter vestram mercedem, ut mihi pœnitentiam agere liceat, quoniam et verbis et scripto confiteor me conjugalem copulam non mereri, ideoque prostrata suppliciter exoptulo ut mihi jam nunc et deinceps non denegetis quod meæ saluti posthac succurrere potest. Textus itaque illius scripturæ hæc verba et hunc sensum continebat: « Ego Thietbrihc, quam feminei sexus imprudentia, et fragilitas fefellit humana, et conscientia delicti mordet, propter spem salutis animæ meæ, et propter fidelitatem erga senioremeum, veram confessionem coram Deo et sanctis angelis ejus, ac venerabilibus episcopis, sive nobiles laicis, sic profiteor, quia germanus meus Hucbertus clericus me adolescentulam corrupit, et in meo corpore contra naturalem usum

A fornicationem exercuit et perpetravit. Hoc testificor teste mihi conscientia mea, non aliqua malevola suggestionem persuasa, neque violenti necessitate compulsam, sed simplici voluntate rei veritatem sicuti est professam. Sic me adjuvet Dominus, qui peccatores salvare venit, et peccata simpliciter ac veraciter confitentibus veram indulgentiam promisit, si nihil fingo, si vera propria voce pronuntio, et litterarum chirographo rem gestam confirmo; quia tolerabilius est mihi imprudenti ac deceptæ feminæ, coram hominibus culpam simpliciter confiteri, quam ante tribunal Domini erubescere atque æternum vae habere. »

CAP. XVI. « Hoc itaque recitato astantium animos horror pariter ac dolor perculit, ac de tanta licentia diabolicæ fraudis sacerdotum pectora gemitus complevit. Sed quamvis ista ejus confessio credibilis appareret, tamen ne forte pro aliqua deceptione, aut pro timore alicujus, sæpe dicta mulier mentiretur, denuo memoratum regem alloquentes, magnis eum obtestationibus astrinximus ut nobis confiteretur si eam suasionem aut comminationem ad seipsam fallaciter criminandum compulsisset. Econtra ipse cum maximis atestationibus 576 nobis declaravit, solam rei veritatem illam confiteri se persuasisse, nec in ea causa industrie aliquid amplius egisse. Referebat etiam nobis in ipsa hora quomodo postquam primum infandam rem audivit, et veram credidit, quantum inde doluit quantumque sibi inopinatum malum et minime optatum fors displicuit. Qualiter denique rem fœdam patienter ferre, et nisi jam tantum fama cucurrisset, occultare voluit, et quantum potuit fecit. Unde et falsum iudicium se sciente pro verifica examinatione suscepit et toleravit, ut si fieri posset tanta turpitudine incredibilis appareret, et sic in mundo evanesceret, ipseque coram sæculo in tam ignominiosa macula et ruinosa offensione non remaneret. Postquam autem revelata pestis latere non potuit, ac ipse pondus tanti opprobrii ferre nequivit, maxime cum partibus Burgundiæ atque Italiæ discurrens nimis diffamatam ac divulgatam fœditatem exhorruit, non est passus hanc causam sine episcoporum examine diutius subsilire. Revera lacrymosis suspiriis multipliciter id sibi de memorata femina inculcatum, et in hoc etiam regno a plurimis affirmatum non sine gemitu repetebat.

CAP. XVII. « Nos igitur rursus eandem mulierem primum secreto, deinde coram laicis adivimus, eamque cum adjuratione divina monitis pluribus exhortati sumus, ne sibi ullo modo falsum crimen inferret, æternarum quoque pœnarum minis, si hoc faceret, deterrere curavimus: iterumque de nostro consilio et auxilio, tuitione ac defensione contra omnes insidias vel violentias securam reddidimus, tantum ut nobis jam tunc fiducialiter confiteretur utrum persuasa an compulsam ad seipsam criminandum fuisset. Ad hæc illa aspero intuitu nos redarguens: Putatis, inquit, ut meipsam pro aliqua re in mundo ita perdere voluissem? Sicut enim confessa fui, sic confiteor, et sic confitebor. Tantum obsecro

propter Dei amorem ut meis precibus desideratam misericordiam jam modo concedatis. Hinc nostra sollicitudo requisivit an ipsa ulterius inde aliquam vellet querimoniam movere, aut aliquas aliquando insidias moliri, si suæ petitioni fieret satisfactum. Cujus obligationem et nostra illico unanimitas ita prosecuta est : Scias, o filia, quia si nostram in te tuamque confessionem sententiam expectabis, ut te divinæ et canonicæ comprehendat auctoritatis censura, et indissolubilis incipiat ligare sacerdotum catena, unde adhuc potes recuperare, si tamen potes, ulterius, ut æstimamus, non recuperabis. Sic et laici plurimum eam admonuerunt, maxime ipsius familiares et amici admodum illam, ne se deciperet, pulsando increpabant. Ipsi tamen, veluti si ejus conscientia secretum intuentium oculis visibiliter appareret, immobilis in sua confessione perduravit.

CAP. XVIII. « Quid longius immoremur? Jam omni dubietate remota, et rei veritate comperta, novum auditu scelus, nefandaque pollutione horrendum, præsertim cujus felorem jam diu per innumeros longe lateque fama disperserat, ne præsentibus ac futuris pestiferam corruptionem inferat, nisi severius diligentiusque evellatur, nulla levi cura vel indulgentia tractanda visum est. Non enim dubium est quia naturalis inter fratrem et sororem concubitus veniam temporalis non meretur honoris, et nihil aliud restat **577** quam vindicta et pœnitentia. Nec habet ulterius progrediendi occasionem damnabile crimen, quod statim a prævaricatoribus multa quæ fuerant licita penitus amputat; ideoque hoc eo rarius a sæculo contigit, quo constat quia nullus inde exemplum sibi præsumpsit, quod nunquam veniale apud mundi gloriam esse potuit. Sed cum quilibet aliquoties in hanc miseriam lapsi sunt, non de exemplo alterius accidit, sed de antiqua diaboli fraude, et simili fragilitatis impulsu ac præcipitio recens et quasi nova ruina fuit. Istud autem contagionis genus, quod nunc incipit esse novum, et antea nobis erat inauditum, cavendum est ne morbosam pestem et incurabilem lucem generi transmittat humano, ut ita videlicet origo pernicioosa funditus extirpetur, quo nullum exemplum nullamque fragilibus relinquat occasionem : ne forte, quod absit, talis consuetudo inolescat, qua naturalem consanguinitatis concubitus quis devitet et fornicari contra naturam in proprio genere, leve hos æstimans malum, licentius assuescat.

CAP. XIX. « Hic ergo consideratis et diligenter perspectis, lugendum incesti pollutionem, in publicum exhalatam, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandam decrevimus. »

Hinc breviter prælibamus, in processu plenius ostensuri, quia hujusmodi confessionis libellum fieri Leo papa manifestissime prohibet (*epist.* 36, *ad episc. per Campaniam*), sed et perinde uxorem a viro discedere posse neque auctoritas sacra permittit. Quia etiam hæc femina suæ accusationis libellum non episcopis, ut ibi scriptum est, sed regi por-

A rexit, et laicis sua crimina denudavit, rex legale iudicium construat, et secundum legem ac justitiam laici conjugati laici regis conjugem judicent; et si de eorum iudicio ad episcopale iudicium venerit, secundum leges ecclesiasticas episcopi ei iudicium medicinale imponant. De hoc quod ibi scriptum est, quod de tali facto rex doluit, et contristato ei actio ista displicuit, cavendum illi est ne tristitia ejus non sit ablutio, sed sceleris, quod absit, confessio. « Hæc enim est, ut doctores scribunt Ecclesiæ, et venerabilis presbyter Beda illorum sequens sententiam dicit, superni justitia iudicii, ut plerumque reprobi et agnoscant se et fateantur errasse, certamque erroris sui pœnitentiam geant, nec tamen ab errando quiescant, quatenus eadem confessione ac pœnitentia contra se ipsi testimonium dent quia non nescii delinquant, dum a peccato quod culpant, cohibere detrectant, eoque justius precant, quo foveam perditionis, quam prævidere valuerunt, declinare neglexerunt. Unde scriptum est de Herode (*Marc.* vi) quia contristatus est rex pro Herodiadis petitione. Talis quippe est tristitia Herodis qualis pœnitentia Pharaonis et Judæ, quorum quisque facinora sua, postquam accusante conscientia invitus prodidit, veors augmentavit. Itaque Herodes caput Joannis petitus, tristitiam quidem prætendebat in vultu, quia se ipse damnaret ostendendo cunctis liquido quia insontem noverat et sanctum, quem erat neci daturus. Verum si diligentius cor nefandum inspicimus, lætatur occulte quod **578** ea petebatur quæ et antea facere, si excusabiliter posset, disponebat : qui si caput Herodiadis peteretur, nulli dubium quia nec vellet dare, et veraciter tristis abnueret. » Unde et hic dominus noster rex, superni spectatoris intendens oculos, qui corda omnium conspiciit, et cui cogitatio hominis confitetur, diligentissime ponderet si æquo dolore acciperet, et æqua vultus serenitate eum respiceret, a quo tunc forte audiret : Quia a te feminam istam absolvis, nec illa talem vel talem tibi quocumque modo ulterius unquam approximare permittas. De hoc quod rex profitetur quia falsum iudicium, se sciente, pro verifica examinatione suscepit, scientes de omnibus iudiciis nostris æquissimo iudici et regi regum rationes nos subtilissime reddituros, quæ sentimus absque respectu personæ, veritate cogente, proferimus. Scilicet quia contra legale decretum et evangelicam veritatem agere præsumpsit, dicentem : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Matth.* iv, 7); qui, ut iterum scriptum est : *Illusores deludet* (*Prov.* iii, 34), ut sacrilegus, quia contra sacra sacramenta per contemptum et illusorie fecit, pœnitentiam accipiat dignam et peragat, consentientes autem ei, si qui fuerunt, legalibus et ecclesiasticis iudiciis supponantur. Cæterum quod ibidem subsequitur, quia eadem femina secundum suas multas postulationes publica pœnitentiæ satisfactione purganda decreta est, si in iudicio legali posita, rationabiliter et juste illud evasit, comite æquitate vel indulgentiæ pietate, bene utcumque se habet,

ta tamen ut contra Apostolum licentia separationis **A** jus scandalum non fiat infirmis, et virum suum sechari non faciat: sin autem, audire cum fautoribus suis apostoli verba debuerat: *Petitis et non scripitis, eo quod male petatis* (Jac. iv, 3); quoniam **B** *ne se apud regem et nobiles laicos accusaverat per scripturam, sicuti secundum leges Romanas quisque accusat alium sub conditione eisdem legibus designata, consequens non videtur ut ab his legaliter non iudicata, vel indulgentia principalis sententiæ absolute, ab episcopis pœnitentia publica mulctari denerit, cum in iudicio legaliter disposito etiam carceres absque prolato iudicio reum ad tormenta non strabant, nec sine indulgentia principali vinculis alligatum absolvant. Quod denique post valida auctoritatum testimonia, sed parum aut nihil illa **B** *ne de præfata femina acta sunt confirmantia, imo his quædam contraria, ibidem subsequitur: « De rege autem nostro, et ejus fragili juventute, et labili continentia, ne populis regnoque ipsius periculum inferat, consuli adhuc magna necessitas imminet: et leo summopere flagitamus, collegii vestri consilio et incera cooperatione nos in Domino a vobis velociter consolari, atque confortari,» mirabili dictu pendens vobis visa est prolata sententia, quoniam quæ requiritur exinde consolatio non profertur, nec unde consilium dari debeat demonstratur. Quapropter expressis interrogati ab aliis, si conjugium hæc copulatio inter domnum regem et sæpe dictam feminam **579** fuerat, quæ inde sacra auctoritate docente sentimus, in processu operis ostendemus. Si vero concubinalis commistio, vel incestualis pollutio existit, et exinde, **C** *que in sacris paginis invenimus collecta, monstramus. Interim tamen hujus tomi scriptorem cum sententia commonemus, quia tutius fuerat expectare atque expetere collegii generalis consilium ex his que de prædicta femina gesta sunt, et in eodem consilio, quod nunc requiritur de domno rege consilium caperetur, quam nunc, ut ex antiquo solent proverbialia dicere, post tempestatem buccinam insonare, quia scriptum est: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos* (Prov. iv, 26); et: *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* (Eccli. xxxii, 24).**

INTERROGATIO II

De eo quod nobis scriptum est quosdam dicere, quoniam ad instar secretæ confessionis quondam **D** Ebonis episcopi, de argumentis hujus causæ latentis ex confessione præfate femine debeat judicari.

RESPONSIO.

Fortè laici et hujusmodi homines dicunt, qui ecclesiasticas leges ignorant, et episcopali tunc temporis non interfuerunt iudicio, sed quæ acta sunt auditu conjiciunt vitioso. Unde nos, qui in eodem concilio fuimus, certa notitia, et ex eisdem gestis episcopalibus, et illo ipso scripto quod Ebo manu sua firmatum concilio protulit, ostendere possumus, quia præfatus episcopus in synodo accusatus iudices sibi elegerit, libellum de secessione a ministerio pontificali

propter pondera peccatorum suorum manu sua subscriptum synodo sacræ porrexit, ipse juxta libelli tenorem confessus testes adhibuit, et sic demum, secundum confessionem suam testibus et scriptura subnixam, ut iudicum electorum iudicio a ministerio episcopali recederet sententiam synodalem accepit, abiit, et recessit. Quapropter dicentes talia etiam ex nostra insinuatione cognoscant, quod de Christianæ doctrinæ usu ignorare non possunt, quoniam sicut alius ordo, ita et alia causa et lex causæ viri est et uxoris, et alia non solum episcopi, verum presbyteri, atque diaconi. Nam, docente evangelica et apostolica veritate: *Vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, et mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir.* (I Cor. vii, 4). Qua potestate corporis, sicut auctores exponunt, usus genitalium designatur, quibus abuti conjuges non debent ad alios, sed uti eis nuptialiter inter seipsos. Alioquin, sicut et Apostolus de se dicit (I Cor. ix), quisque Deum timens potestatem habet castigandi corpus suum, et servituti subijciendi, et ad mortem usque pro Christo tradendi, atque secundum communem ac licitum usum cætera membra sua movendi, et corporis **580** curam agendi habet. Sub quo sensu idem Apostolus sequitur: *Et alligata est mulier lege viri quandiu vir ejus vixerit: mortuo autem viro soluta est a lege viri, nubat cui vult, tantum in Domino* (I Cor. vii, 27). Et vir non potest uxorem suam dimittere quacunque de causa, et nulla alia nisi sola fornicationis causa, et si dimiserit eam, vivente illa non potest aliam ducere, nec illa viro suo vivente alteri nubere, quia scriptum est: *Quod Deus conjunxit homo non separet* (Matth. x, 9). Deus enim conjunxit, unam faciendo carnem viri et femine. Hanc homo non potest separare, nisi solus forsitan Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ uxoris primam dimittit: Deus separat, qui et conjunxerat, quando ex consensu propter servitutem Dei, eo quod tempus in arcto sit, sic habet uxorem quasi non habens. Separat autem Deus, non a maritali et uxorea secundum Deum inita conjunctione, sed a carnali commercio et uxorei usus commistione. Quod si sufferre non possunt, non se fraudentur ab invicem, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi, et iterum revertantur in idipsum, ut non tententur a Satana propter incontinentiam. In cujus tentationem per incontinentiam quisquis eorum adulterando inciderit, antidoto salubris pœnitentiæ remedium pœnitendi, et per ecclesiasticam auctoritatem consequi perfectionem valebit. Episcopus autem, presbyteros, vel diaconos, qui mortali crimine dixerint se esse pollutos, secundum Valentinam Synodum (can. 4), a supradictis ordinationibus legimus submovendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi potest qui in seipsum dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa major homicida sit. Quam mortem sanctus Augustinus in sententia Deuteronomii: *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum*

de filiis Israel, et vendito eo accipiens pretium, interficitur, et auferes malum de medio tui (Deut. xxiv, 7), isto modo exponit dicens: « Assidue hoc dicit Scriptura, cum jubet occidi malos. Qua locutione usus est etiam Apostolus cum diceret: *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis? auferite malum ex vobis ipsis (I Cor. v, 12).* Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit ut excommunicatione dignus sit. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Sic et quod leges civiles ministerio reipublicæ morte condemnant, leges ecclesiasticæ degradationis vel excommunicationis judicio puniunt. In Africanis quoque canonibus legimus: *Ut episcopus, qui se communicasse non communicandis super se mentitus fuerit, episcopatum amittat.* Uxor autem a viro tali colludio separari non potest. Iluc accedit quod superius paulo posuimus, episcopus, presbyter, vel diaconus absolvi non potest, qui in se mortis causam dixerit, quæ dicta in alium puniretur. Quoniam hæc causa ab hac muliere, ut fertur, in se solam **581** non dicitur, quæ multo magis in fratrem refertur. Idcirco, pro tali dicto, antequam et per eum vel confessa vel convicta clarescat in quem relative relabitur, separari non potest. Sed et episcopus, presbyter, vel diaconus, non ita ut vir et uxor, si in laqueum et tentationem diaboli inciderint, per manus impositionem remedium possunt accipere pœnitendi: sed sicut Leo scribit (*epist. 95, cap. 2*), hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa: nec perfectionem ad gradus redeundi ecclesiasticos pœnitendo consequi prævalebunt, sicut de viro et femina, si adulteraverint, communionis perfectionem consequi poterunt, scribente Gelasio (*epist. 6*): Hujusmodi etiam, si forte subrepserint, tam qui ante peccaverint, delectos oportere depelli, quam sacræ professionis oblitos, prævaricatoresque sancti propositi procul dubio submovendos. » Et Siricius (*epist. 1 ad Himerium*): « Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitentiam ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum. » Et sicut in aliqua corporis parte præcisus, aut publice pœnitens, ad ecclesiasticum gradum canonice non potest accedere, vel in ecclesiastico gradu manere: ita nec dicamus, qui ante baptismum vel post baptismum inventus fuerit, ecclesiastici gradus munere potest perfrui, sacra auctoritate docente: cum eadem auctoritas præcisos, vel publice in adolescentia pœnitentes, sive nuptias digamiæ in laicali ordine non refutet: quoniam sicut aliud officium capitis, et aliud membri alterius pro diversitate est corporis, ita alia causa est

A sacerdotis, et alia causa est plebis, aliaque pastoris, et alia gregis. Et secundum auctoritatem canonicam, vir et mulier, etiam causa fornicationis se juncti, possunt mutua reconciliatione post pœnitentiam in conjugio rejungeri; episcopus autem, vel presbyter, sive diaconus, juste et secundum leges ecclesiasticas degradatus, ad gradum non valet denuo aspirare. Legat qui voluerit magni Leonis epistolas, et decreta Gregorii, in quibus inveniet episcopum, vel presbyterum, sive diaconum, post depositionem canonicam ad gradus ecclesiasticos aspirantem exilio deportari, vel in monasterio sub pœnitentia debere detrudi. Est etiam, quia mulier viro non potest dare libellum repudii, et viro mulieri dare libellum repudii, quod Moyses, et non Deus, Evangelio teste, permisit, Dominus ipse prohibuit. Et, Paulo docente, non atramento sed spiritu Dei vivi lex in cordibus justorum est scripta, sacrique canones, ut docent Damasus et Leo, eodem Spiritu sancto sunt conditi, de quo scriptum est: *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. x, 20)*; et: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Rom. viii, 9)*; et: *Spiritus est Deus, et, ubi vult spirat; et, dividit singulis prout vult (I Cor. xii, 11).* Quorum auctoritate canonum, sive pro infirmitate animæ, sive pro corporis ægitudine, dato libello manu sua subscripto, ab Ecclesia, cui præsederat episcopus, et a suo se potest, si voluerit, remove officio, sicut beatus Gregorius in suis multoties designat epistolis, veluti ad Marilianum episcopum Ravennatum, et ad clerum ac plebem Ariminensium, necnon et ad Anatolium diaconum, et ad Ætherium episcopum, atque ad Brunichildem reginam; sed et in Gallicanis canonibus de Potamio Bracarensi archiepiscopo evidenter agnoscitur. Non autem legimus, ut femina, libello Synodali porrecto conventui, a suo debeat conjugio separari, aut sine publico examinationis judicio a conjugali valeat jugo disjungi. Sæpe enim cum maxima importunitate mulieres palimur reclamantes, quæ cum sacramento, quanto magis cum libello porrecto, affirmare conantur, quoniam viri qui eas legaliter susceperunt illis non possunt concubitus reddere debitum, et alias multiplices imposturas opponunt. Illi vero econtra eas mentiri asserunt, sicut in multis rei comprobatur exitus. Sed et viri uxoribus plura, quæ hic inserere turpissimum vel superfluum ducimus, solent objicere; quibus si facilem præberemus assensum, innumera separatorum turba instituti a Domino conjugii legalia fœdera violaret, quia si quocumque ut vellent modo, viri aut feminæ lascivientes a jugo conjugii separari possent, ut aut aliis connubiis jungerentur, aut furtivis mœchationibus polluerentur, libentissime se mutuo separarent, sicut in adolescentulis viduis pervidemus, quæ ideo post absolutionem virorum velamen sacrum suscipiunt, ut licentius pluribus abutantur. Sed et interdum viri a legitimo se suspendunt conjugio, ut plurimarum complexus usurpent concubinarum. Quæ Spiritu sancto prævidens, et cavere docens, inter cætera

de hujusmodi loquens Apostolus dicit : *Volo juniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse (I Tim. v, 14)*. Unde cautissime ac prudentissime auctoritatis ecclesiasticæ disciplinalis providit discretio, ut ab officio sacri ministerii, conscientia testimonium perhibente, viri ecclesiastici se remove- re et dignis pœnitentiæ fructibus possint insistere, quia in hoc negotio nullius voluptatis atque calliditatis potest intervenire occasio, sed solius humilitatis atque salutis devotio. Vir autem et mulier, quoniam auctoritate sacra dicente, *jam non sunt duo, sed una caro, secreta confessione, vel porrecto libello, separari non possunt, sicut scriptum est : Quod Deus conjunxit homo non separet (Matth. x, 9)*, nec quocunque alio modo, nisi manifesta fornicationis causa. Et separati aut ita maneat, aut mutuo reconcilientur. Neque ita possunt disjungi, ut pars unius corporis in viro vel femina serviat continentia, et pars in pollutione remaneat. Possunt autem ex communi consensu magis conjuncti ab opere uxoreo ferari, ut perpetuo amore continentia Deo vacent.

583 INTERROGATIO III.

De eo autem quod scriptum est : « Sed et de venerabili Rhemorum archiepiscopo nobis est dictus, quoniam tali facto consentiat, et per episcopos, Wenilonem scilicet Rothomagensem archiepiscopum et Hildegarium episcopum, verbo vices suas impleverit, et per Adventium, qui cum eo Rhemis pro hac causa locutus fuerat, litteras consensus sui ad placitum regis, et ad conventum episcopalem direxerit, et per eundem Adventium litteras suas exinde ad apostolicam sedem transmiserit, » ratio reddi debet. Si enim Pastor Ecclesiæ et apostolorum primus, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis, cur ad gentiles intrasset, et comedisset cum eis, cur eos in baptisma recepisset, sicut in apostolorum Actibus legimus (*Act. xi, 4*), rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?

RESPONSIO.

Unde ego Rhemorum Ecclesiæ famulus omnibus credere veritati volentibus satisfacto, quia nec consensus, nec dissensus mei vices per præfatos, vel alios quoslibet venerabiles episcopos, in hac causa verbo sive scriptura implevi, quia nec cum prænomi- natis episcopis post proximas Kalendas Novembris, usque ad tempus illud quando hæc gesta sunt, fui locutus, nec dilionis meæ est, ut eis debeam auctoritative quiddam injungere, nisi sicut et illi mihi possunt charitose quæ voluerint imperare. Adventius autem venerabilis episcopus, et filius meus Hincmarus Laudunensis episcopus, gratia visitationis octavo Kalendas Februarias ad me Rhemis venerunt, et ex jussione dominorum, atque ex nomine confratrum nostrorum, ad conventum Aquisgrani palatio tunc proxime habiturum me, si pro infirmitate corporis possem, ire commonuerunt, sin autem ire ipse non

possem, aliquem cœpiscoporum nostrorum, qui eorum tractatibus interesset, dirigerem. Unde inter alia colloquentibus nobis, et etiam de his, quæ vulgante fama per laicorum, non solum nobilium verum et plebeiorum ora audieram uxori domni regis Lotharii reputari, ut si forte proinde me et jussio principalis et vocatio sacerdotalis ad conventum ire juberet tutius et rationabilius esset, ut ad generalem synodum ventilatio et diffinitio hujusce rei, quæ novitate sua audientium aures, aut pene tinnire, aut facit penitus continere, ex integro differretur, quia nec ego ire infirmitate corporis præpeditus, nec cœpiscopum diœceseos nostræ sine consensu provincialis conventus valerem dirigere, nec causa, quæ sic generaliter ad omnes pertinet, cum paucis episcoporum numero diffiniri deberet. Instante autem domno Adventio tantum ut irem, vel cœpiscopum nostrum mea vice dirigerem, et illic causa nobis aperiretur, pro qua **584** vel meæ exiguitatis persona, vel legati provinciæ nostræ præsentia rogabatur, vespertina hora terminum collationi imponit, et nec a me interrogatus secretam causam, quam præmissus libellus significat, nec spontaneus mihi aperiens, quia forte illam esse recognovi, quam ut præmisi audieram, et de qua plurimos episcopos, quando judicium purgationis exinde factum est, consultos didiceram, quamque, ut dicitur, etiam feminæ in textrinis suis revolvunt. Inter lucano appropinquante nocturno, venerandus Adventius ad suum divertit hospitium, et Hincmarus Laudunensis episcopus se in notam mansionem recepit. Ego autem ut infirmus lecto decumbens, postquam melius habere cœpi, propter quædam tunc mihi in mentem venientia, quoniam religiosus Adventius mihi non dixerat, quare vocarer ad synodum, et ego multipliciter de quæstione impacta feminæ cum eo locutus fueram, suspicans, ut prædixi, quod hæc ipsa quæstio causa vocationis posset existere, fore melius cogitavi, ut litteras ei de pridiana colloctione nostra dirigerem, quarum exemplar quisque volet hic potest relegere.

« Hincmarus nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri, et venerabili episcopo Adventio plurimam in Salvatore salutem.

« De mihi impræmeditata isto in tempore quæstione, de qua jam talia ac tanta audieram, ut de ea modo nihil me auditurum putaverim, plurima heri, quantum mea permisit infirmitas, mutua sermocinatione locuti, tandem sicut melius et rationabilius nobis visum furat, sinem eidem causæ, ut synodo generali servetur, posuimus. Sed sicut jam vesperi, parum vos pro tempore tetigi, unde nunc expressius vestram fidissimam commonendo benigne satagere deprecor charitatem, quoniam secundum jussionem dominorum, et vocationem consacerdotum, ipse infirmitate detentus ad conventum vestrum ire non valeo, aut vice mea quemquam cœpiscoporum, more canonico regulari collatione instructum, et prose-

quentibus litteris commendatum, mittere nequeo, quia instantia missionis et brevis temporis, non permittit ut dominos et coepiscopos meos in talibus consulam, sine quorum consultu, ut melius ipsi nostis, nihil, nisi quantum ad parochiam propriam pertinet, agere a venerandis regulis mihi permittitur, contra quas non sine ultionis periculo quiddam præsumitur, timeo ne dominus rex putet meam debitam servitatem se ab obsequio suo velle suspendere, et venerandi episcopi suspicentur, si quid secundum sacras regulas diffinierint, cupere quod mihi non convenit retractare. Unde vestra dilectio, quæ meam devotionem ore ad os colloquens didicit, sicut de vestra bonitate confido, sine scrupulo aliquo me faciat excusatum, quia sicut salubrius sensi, sapientiæ vestræ exposui, et tantillus homuncio in re tam maxima, et personis eminentissimis, de qua a tantis viris talia acta sunt, et ex 585 qua tanti ac tales consulti sunt, sine plurimorum collatione, consultu, sive consensu, et antequam de hujusmodi Scripturarum auctoritates et Patrum decreta revolvam, ita sententiam finitivam depromere vel consensum non audeo adhibere, uti quidquid a vobis definitum regulariter fuerit, vel melius ac rationalius quam mihi visum sit, a Deo placito conventu vestro fuerit terminatum, priusquam id audiam, laudare vel retractare non debeo. Quapropter in calce hujus nostræ exiguitatis schedulæ, non mea sed magni Leonis verba ad Rusticum Narbonensem episcopum ponere dignum duco: « Ut in his. inquit (epist. 95), quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniantur adversum. » Peto denique vestram amabilem charitatem, ut pro excusatione mea in vestro sancto concilio verbis vestræ prudentiæ jungatis hujus diplomatis lectionem. »

Processu denique temporis isdem dominus Adventius ad me missum suum dixerat, per quem ei has iterum litteras destinavi.

« Hincmarus Rhemorum episcopus, dilecto fratri et venerabili episcopo Adventio plurimam in Salvatore salutem. »

Et post quædam præposita ex negotio, pro quo missum suum direxerat: « Cæterum licet mihi nihil inde significassetis, conjicio legationem vestram, in qua vobis, sicut Deo gratias prudentia vestra vos docet, satis caute et provide est necesse incedere, quia talis est causa, et in tam eminentissimis personis, et in hujusmodi ordine, quæ ab omnibus erit ut necesse cognosci, ita etiam ponderari: quoniam, ut Cælestinus scribit, universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur. Est enim inter Regem regum, et regem terrenum, in lege prima primo homini in paradiso data, et a Deo et homine in Evangelio roborata. Est etiam de causa nobis hactenus inaudita ex qua subtiliter necesse erit auctoritates sacras revolvere, et leges Christianas interrogare, pontificalem auctoritatem in sui examinatione sincero et

A cauto gressu incedere, et quemque Christianum a recto itinere non deviare. Oportebit vos siquidem apostolico talia intimare quæ ex corde et ore veraciter prolata, sicut scio quoniam facietis, divinis oculis debeant apparere, et ut nemo aliter postea valeat invenire, de nullorum consensu, sive episcoporum, vel quorumlibet laicorum, pro cujuscunque obtentus intentione apostolicæ sedi suggerere, nisi de quorum scitis tractatu causam constare; ita nihilominus quæ injuncta sunt exsequi, ut quantum fieri poterit, seniores vestrum non possitis offendere, et præcipue quod egeritis sacris regulis non debeat obviare, vel, quod absit, divinæ æquitati atque justitiæ contraire. Hæc, licet ex superfluo, sapientiæ vestræ scribo, quia charum vos habeo, et mihi dignati estis promittere, quod fidei vestræ me cum securitate possem committere, et a me voluistis exigere ut devotionem meam vobis studerem rependere. »

Alia autem litteras nec sedi apostolicæ, nec cuiquam episcoporum, hactenus pro hac causa transmisi.

586 INTERROGATIO IV.

Secundo capitulo nobis remandari deposcimus, si de commisso post initum conjugium reputatur, qualiter debeat iniri conjugium, qualisque lex habeatur conjugii, et qualiter vel pro quibus rebus valent separari, et si post disjunctionem, utrum vir aut femina ad aliam debeat copulam aspirare, vel si pari iudicio quisque eorum in conjugio peccans debeat judicari.

RESPONSIO.

Quia vero in præmissi libelli, ut ostendimus, octavo capitulo scriptum habetur, ut argumenta hactenus latentis causæ percipientes errorem expellamus, et verum statuamus: et argumentum esse legimus, quod licet nondum sit, fieri tamen potest, et de conjugio agitur, ante quod sæpe ab humana fragilitate delinquitur, sæpe in ipso ineundo conjugio, sæpe autem post initium conjugium, graviore noxa peccatur; ab ipsa radice incipientes, ponamus qualiter debeat iniri conjugium, deinde legem conjugii ostendamus, post autem si in conjugio peccatur, iudicium et iudicii ordinem demonstramus; ut quoniam peccatum malum est, et malum natura non est, ac per hoc substantiale non est, sed in boni substantia coalescit, et ut accidens infirmitas medicina depellitur, cum regula, videlicet incolumitas naturalis, et medicina infirmitatis posita fuerit, apprehendatur certius fortitudo atque accidens læsio, argumento quasi hactenus latentis causæ percepto, errorem expellere, et verum facilius statuere prævalebimus.

Qualiter conjugium iniri debeat, et vetus et nova lex edocet, Domino per Moysem præcipiente, et in Evangelio demonstrante (Matth. 1, 18): Cum esset, inquit, desponsata mater Jesu Maria Joseph, ante-

quam nuptiali celebratione convenirent, sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua presentia sanctificare, et miraculo ibidem patrato illustrare dignatus est, sed et sanctus Evaristus papa Romanus quartus a beato Petro in decretalibus ad locum ita scribit (*epist. 1 in principio*): « Similiter custoditum et traditum habemus, ut uxor legitime viro jungatur. Aliter enim legitimum, ut a Patribus accepimus, et a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non sit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem videntur habere, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus aut propinquiorebus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita et consociata, a proximis tempore congruo petita, legibus dotetur, et solemniter accipitur, et biduo vel triduo orationibus vacent, et castitatem custodiant, ut bonæ soboles generentur, et Domino in actibus suis placeant. Taliter enim et Domino placebunt, et filios non spurios, **587** sed legitimos atque hæreditabiles generabunt, Quapropter filii charissimi et merito illustres, fide catholica suffragante, ita peracta legitima scitote esse conjugia. Aliter vero præsumpta, non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima. Nam fructus divinus est præcepta divina custodire. Ea quoque deserere, præsumptionem fieri nulli dubium est. » Cur ergo indignum est unitatem Ecclesiæ custodiri? Idemque omnes pariter et sentiamus et pronuntiemus. Si enim aliter præsumpta fuerint, perdunt profecto ipsi transgressores seipsos, qui semetipsos decipiunt. Sed et de ejusmodi genere conjugii angelus ad Joseph ait (*Matth. III, 20*): Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, id est, desponsatam. Et beatus Siricius papa in decretis ad Himerium Tarraconensem episcopum (*epist. 1*), capitulo quarto ita dicit: « Quod non liceat alterius sponsam in matrimonii jura sortiri. De conjugali autem violatione requisistis si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. » Ex concilio Ancyrano capite decimo: *De desponsatis puellis, et ab aliis corruptis*: Desponsatas puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui, et eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit. Unde etiam sæpenumero et plurimiciter in sanctorum diffinitionibus legimus: sed ad ostendendum istius generis conjugii, satis superque ista sufficiunt.

Quia vero secundas nuptias non damnamus, imo recipimus, aliud genus conjugii et Apostolo do-

PATROL. CXXV.

cente suscipimus, et sancto Leone papa in decretis ad Rusticum Narbonensem episcopum, qualiter iniri debeant, monstrante cognoscimus. Ait enim capite decimo octavo (*epist. 95*): « Non omnis, inquiens, mulier viro conjuncta, uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenos sunt legitima, inter æquales, et multo prius hoc ipsum Domino constituyente, quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandum harum personarum discretionem (*Gal. IV, 30*), testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abraham: *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen. XXI, 10*). Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur si quis filiam suam viro habenti concubinam in matrimonio dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi forte illa mulier **588** et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres quæ a viris habebantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina et ancillam a thoro abjicere, et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis. » Et sanctus Ambrosius in libro de Lapsu virginis (*cap. 5*) dicit: « Quia inter decem testes confectis sponsaliis, et nuptiis consummatis, quævis viro femina conjuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium. » Sed et quia extra ordinarios, ordo non prætermittit Ecclesiæ, quin aut resipiscentes recipiat, aut contemnentes abjiciat, de multinubis in concilio Neocæsariensi capite tertio, ita scriptum est: « De his qui in plurimas nuptias inciderunt, et tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conversatio eorum et fides tempus abbreviat. » Evenit etiam per bellicam cladem, et gravissimos hostilitatis incursus, ut uxor viri capiti alteri jungatur. Rapiuntur quoque contra fas et jura viduæ vel virgines, ac sanctimoniales, unde medicinæ sacris designantur canonibus, quæ hic ponere non necessarium ducimus. Ecce quibus modis sociantur conjugia, vel contubernia usurpantur.

INTERROGATIO V.

Qualiter, vel pro quibus rebus, secundum auctoritatem inita conjugia separari valeant, et sine quibus separari non debeant, et si post disjunctionem, vir aut femina uterque vivens ad aliam debeat copulam aspirare, vel si pari judicio quisque eorum in conjugio peccans debeat judicari.

RESPONSIO.

Primo, qui secundum evangelicam admonitionem, ut beatus Augustinus in libro: de Bono com-

jugali dicit, amore fit salutis æternæ, ubi tanto melius quanto spiritualius servatum quam dissociatum conjugium dicitur. Et S. Augustinus in libro quinto contra Julianum dicit : « Dixit, inquit, Lucas evangelista de Domino (*Luc. iii, 23*), quod putabatur filius Joseph, quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit remove opinionem, non Mariam illius viri negare conjugem contra angelum testem; quanquam et tu ipse etiam ex desponsionis fide eam nomen conjugis accepisse fatearis, quæ fides utique inviolata permansit. Neque enim, cum eam vidisset jam virginem sacram, divina fecunditate donatam, ipse aliam quæsit uxorem, cum utique nec istam quæsiisset, si necessariam conjugem non haberet, sed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit esse solvendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est. »

Secundo æque secundum evangelicam veritatem, causa fornicationis. Unde istiusmodi medicina in canonibus (*can. 19*) Ancyrani concilii **580** adhibetur : « Si cujus, inquit, uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet cum perfectionem consequi, secundum pristinos gradus. » Et de eorum separatione in concilio Africano capite saxagesimo nono ita scriptum habetur : « Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri jungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. » Deinde auctoritas sequitur : « Ut quocumque modo legitime inita conjugia separentur, non sine sacerdotali conscientia, et absque legali judicio debeant separari. » Item in concilio Eliberitano (*can. 9*) : « Femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et adulterum ducit, prohibeatur ne ducat : si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi is quem reliquit, prius de sæculo exierit: nisi si forte necessitas infirmitatis dare compulerit. » Similis sententia, et de viro tenenda est, quia ut Innocentius ad Exuperium Tolosanum episcopum, et Augustinus in libro *de decem Chordis*, et Hieronymus in epistola ad Oceanum de morte Fabiolæ scribunt : « Sub una judicii divini lege tenentur si quacumque de causa dissociantur. » Unde Innocentius ad Exuperium Tolosanum episcopum capitulo septimo : « De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum esse videatur conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæc personæ, quæ talibus conjunctæ sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio : *Qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, mæchatur : similiter et qui dimissam duxerit, mæchatur* (*Matth. xix, 9*). Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem, vel

propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incensores illiciti consortii fuisse detegantur. » Et S. Ambrosius in lib. *De Abraham* : « Vos moneo, viri, maxime qui ad gratiam Domini tenditis, non commisceri adulterino corpori: qui enim se jungit meretrici unum corpus est: nec dare hanc occasionem divortii mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominum, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine. Ergo advertitis, quid debeatis cavere, ne quis sacramentis se indignum præbeat. » Cap. 236 concilio Agathensis, de his qui sine causa uxores suas relinquunt, ita scriptum est : « Hi vero sæculares, qui conjugale consortium nulla culpa gravior dimittunt, vel etiam dimiserunt, et nullas causas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut aliena, aut illicita præsumant : si antequam ad episcopum provincialem discidii **590-592** causam dixerint, et prius uxores quam judicio damnentur, abjecerint, a communionem Ecclesiæ, ac sancti populi cœtu, pro eo quod fidei conjugii maculant, excludantur. » Et item in concilio Eliberitano : « Feminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerint viros suos, et aliis copulaverint, nec in finem accipiant communionem. » Sunt et aliæ incestæ conjunctiones, earumque separationes, atque judicia, de quibus hic loqui festinantes ad alia superseedimus. De quibus cuncti legentes agnoscant quia non ideo sancti et apostolici viri, successores videlicet apostolorum, ex eorum traditione leges statuerunt, quas hic posuimus, ut nemo fidelium juxta divinam auctoritatem initum dissolvat conjugium sine episcopi sui scientia, ut leges sæculi Christianas con-temnamus, ac conculcare velimus, quas etiam in ecclesiasticis necessitatibus promulgari sæpe solet ab imperatoribus et regibus Ecclesia postulare, quarumque sententiis in suis judiciis simul cum sententiis canonum episcopalis auctoritas frequentius utatur, et in tantum acceptet, ut Damasus et Leo, et sanctus Gregorius, legum sententias fecerint esse canonicas, sicut in eorum invenitur epistolis, et commonitoria ad Joannem Defensorem euntem in Hispanias beatus Gregorius (*lib. xii, epist. 51*) de sacris ordinibus per totum ex legalibus confecerit constitutis. Unde et cum aliis, per curricula temporum varia, regibus atque imperatoribus jura legalia decernentibus, nostri etiam ævi Augustus piæ memoriæ Ludovicus, in synodo ac placito generali apud Wormatiam, apostolicæ sedis et papæ Gregorii commeante legato, cum aliis plurimis, de his, quæ episcopi in synodis per quatuor loca sui imperii habitis necessario et utiliter nuper invenerant, de hac unde agitur causa omnium, tam episcoporum, quam fidelium laicorum, votis convenientibus, ita decernens : « Quacumque, inquit, propria uxores derelictas vel sine culpa interfectas, aliam duxerit uxorem, vel sine culpa publicam agat pœnitentiam : et si con-

tumax fuerit, comprehendatur a comite, et ferro vinciatur, et in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.» Christus quoque Dei virtus, et Dei sapientia per se ipsam dicat: *Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus; per me reges regnant, et conditores legum justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam* (Prov. viii, 12). Sed ideo has leges et illi Christi vicarii, apostolorumque successores constituerunt, et nos qualescunque ad vices illorum Dei præsidentes Ecclesiæ, hic illas posuimus, ut sicut illam benedictionem, quam Dominus primo dedit in paradiso Adam et uxori ejus, dicens: *Crescite et multiplicamini* (Gen. i, 28). Quæ semel data usque hodie et usque in finem, non solum fidelibus, verum et infidelibus non negatur, sacerdotum ore ad sanctificationem, quam Christus nuptiis, ubi de aqua vinum fecit, sua præsentia contulit, fidelibus et devotis viris largitur, ita sine illorum scientia per Deum, quia per ministerium illorum conjuncti, legibus sæculi, quæ Dei justitia sanctificantur qua justus quisque efficitur, non separentur, et si propter Deum separentur spiritaliter a carnali commixtione, ut adhærentes Domino unus efficiantur spiritus, velut Paulus de multis in Ecclesia constitutis, inter quos quidam publicani et meretrices, homicidæ fuerunt, et adulteri, loquitur, *Desponendi vos uni vero, virginem castam exhibere Christo* (II Cor. ii, 2), cum sacerdotalis conscientia benedictione plenius Domino conjungantur. Si autem et lege civili justa et sancta ac Dominico præcepto concordante, propter fornicationis peccatum, quod humanæ fragilitati solet subripere, conjuges fuerint separati, episcopalis curæ quæsierint medicinale consilium, ut sciat episcopus quomodo juxta qualitatem et quantitatem vulneris, modum ac virtutem, adhibere debeat curationis medicamentum. Sic namque Dominus semel in cœna, pridie quam pro reparatione et salute omnium qui in Adam perierant pateretur, de pane farina et aqua confecto, et calice sacrosancti altaris, qui aquam miscetur, eucharistiam suis manibus benedixit, et ore commendavit, quam quotidie in omni catholica Ecclesia longe lateque per orbem diffusa, indeficientibus eisdem suis verbis, per manus et ora sacerdotum, in redemptionem et reparationem atque salutem credentium consecrat; a cujus communione vivifica peccantes publice gravibus criminibus, quæ leges condemnant publice, medicinali ferramento sacerdotes abscidunt, et post satisfactionem, ut congruere viderint, salutari refectione redintegrare procurant. Quoniam Ecclesiæ medici spirituales, videlicet Domini sacerdotes, de secreta sibi confessis peccatorum infirmitatibus medicinalia atque salubria possunt dare consilia: judicio autem ecclesiastico, id est separatione a communione Ecclesiæ, vel a gradu, sive a consortio conjugali, neminem rationabiliter possunt secernere, nisi de criminibus aut publice sponte confessum, aut aperte convictum. Et habet modum et ordinem suum confessio vel con-

victio in ecclesiasticis gradibus, quæ hic ponenda non ducitur: et habet modum ac ordinem suum publica confessio vel convictio sæcularium hominum, quo publice debeant judicari. Non quo crimina gravia non solvantur etiam secreta confessione ac pœnitentia, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas: sed quod plurimum constat perpetratum notitia, fiat sanatum scientia, et qui in Ecclesiæ peccavit sinceritatem, illi debitam exhibere studeat satisfactionem, et qui plures, quantum ex se fuit, suo destruxit exemplo, plures sanet suæ humilitatis antidoto, sicut de se Paulus dicit: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (I Tim. i, 11). Et, *videbant, inquit, quoniam qui prius expugnabat hanc fidem, isdem nunc illam prædicat, et in me glorificabant Deum* (Gal. i, 13). Est etiam, ut qui in pluribus Deum offendit, pluribus pro eo Dominum deprecantibus citius remedium consequatur, sicut sanctus Gregorius ad Felicem Sici-liensem episcopum scribit (*lib. xii, epist. 32*): «Sunt enim, inquit, mali segregandi a bonis, et iniqui a justis, ut saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, et convertantur a pravitatibus suis, et si incorrigibiles apparuerint, segregentur a fidelibus usque ad satisfactionem, juxta Salvatoris Domini sententiam, quæ inter cætera de peccante fratre præcipiendo ait: *Si peccaverit in te frater tuus* (Matth. xviii, 15), usque ad id quod dicitur, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Illis ergo et aliis multis sanctorum Patrum auctoritatibus, segregandi sunt mali a bonis, ne pereant justis pro injustis, sicut scriptum est: *Perit justus pro impio* (Eccle. vii, 16). Debet enim semper discretio fieri inter bonos et malos, sicut est inter hædos et oves. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correptione purganda, sed palam sunt arguendi qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur, et melius est ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum et inter jumenta fieri persæpe cognovimus, ut ea quæ scabiem vel impetiginem habere videntur, separentur a sanis, ne illorum morbo cætera damnentur vel pereant. Satius est enim ut mali manifeste corrigantur, quam pro illis boni pereant.»

Hæc ideo dicta sunt, cur leges posuimus, ut conjugati sive amore Dei, sive admissione peccati, cum sacerdotali conscientia separentur, unde benedictionem ineundi acceperunt conjugium. Sed quia de separatione viri et uxoris nunc agitur, quæ non fit amore perpetuæ continentia, nec adhuc aperto ut dicitur crimine, sed quadam suspitione, necesse est ut per illius ordinis viros, videlicet per conjugatos, hæc ratio ventiletur, et secundum leges Christianas a Deo dispositas æquissimo examine judicetur ac terminetur, et ubicunque in hoc negotio locum

suam invenerit vel sacerdotalis pietas, vel auctoritatis ecclesiasticæ medicinalis severitas, sine difficultate cum Ecclesiæ filiis, et justitiæ iudicibus, non solum se offerat, verum et ingerat. Et quoniam scriptum est, *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui* (Prov. xxii, 28), quorum imitanda exempla nobis sunt vera doctrina, ad memoriam revocare necessarium duximus, quoniam quidam nostrum, tempore sanctæ memoriæ domni Ludovici pii Augusti, in Attiniaco palatio tunc fuerunt, quando in universali synodo totius imperii, etiam cum sedis Romanæ legatis, et in generali placito, femina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se et virum suum vocabulo Agembertum, ad imperatorem publice proclamavit : quam imperator ad synodum destinavit, ut inde episcopalis auctoritas quid agendum esset decerneret. Sed episcoporum generalitas ad laicorum ac conjugatorum eam remisit iudicium, ut ipsi **595** inter illam et suum conjugem iudicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, et legibus sæculi sufficientissime præditi, eorumque legalibus iudiciis eadem femina se subiceret, et quod de quæstione sua decrevisset, sine repetitione teneret : si vero orimen aliquod esset, inde pænitiæ modum, post illorum iudicium, ab episcopali auctoritate deposceret, secundum quod sacri canones præfixerunt, ei imponere non negarent. Nobilibus autem laicis sacerdotalis discretio placuit, quia de suis conjugibus eis non tollebat iudicium, nec a sacerdotali ordine inferebatur legibus civilibus præiudicium, et legem proclamationi femine protulerunt, ac legali iudicio quæstioni terminum contulerunt. Sic et hanc causam, quæ de personis excellentissimis ventilatur, in medium iudicii sui devocent, et secundum quod viderint æquitatis iudicio convenire dijudicent : hoc solertissime cognoscentes, quia legaliter initum conjugium nulla potest ratione dissolvi, nisi, ut præmisimus, conjuncta separatione spiritali, aut manifesta confessione, vel aperta convictione, ex corporali fornicatione : « Quia, ut beatus Augustinus in libro de Bono conjugali (cap. 15) dicit, nec pro ipsa etiam sterilitate licet uxorem viro, vel uxori virum dimittere, nec causa filiorum, pro quibus uxor ducitur, se aliis copulare : quod si fecerint, cum quibus se copulaverint et ipsi committant adulterium. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, D cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur. » Et item in eodem libro (cap. 16) : « Sicut ergo satius est mori fame, quam idolothytis vesci, ita satius est defungi sine liberis, quam ex illicito concubitu stirpem quærere. » Et in libris ad Pollentium de adulterinis conjugiiis, multoties et frequentius inculcatum lector inveniet, « quia vir ab uxore, et uxor a viro separari non potest, nisi sola fornicationis causa, possunt autem ea separari, ita tamen, ut aut inuupti permancant, aut invicem reconcilientur. » Et sanctus Hieronymus in commento Matthæi : « Dicunt Domino, inquit, discipuli ejus :

A *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere* (Matth. xix, 10). Grave pondus uxorum est, si, excepta fornicationis causa, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, et maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, tenenda erit. Cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti. » Et item in epistola (epistola 147) ad Amandum presbyterum : « Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, quæ alteri nupserit (I Cor. vii). Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervas, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec hoc **596** Apostolus propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, qui ait in Evangelio : *Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mæchari; et qui dimissam acceperit, adulter est* (Matth. xix, 9). » Huic evangelicæ veritati et apostolicæ doctrinæ hoc modo concordant Innocentius, Leo et Gregorius apostolici, Africanum quoque concilium, Ambrosius, Joannes Constantinopolitanus, Origenes in emendatis a beato Hieronymo libris, Beda presbyter venerabilis, cunctique doctores catholici. Unde si Dominicum et tam evidens præceptum non esset, ut etiam Paulus interrogatus de virginibus dans consilium, de hoc quiddam immutare nequaquam præsumpserit, dicens : *De uxore, inquit, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit manere inuuptam, aut viro suo reconciliari* (I Cor. vii, 10), aut talis esset locus Scripturæ, ut auctores inde diversa licet fidei non adversa sentirent, sicut in canonibus habemus, plurimorum et majoris auctoritatis sequeremur sententiam. Nunc autem aliter sentire vel consentire non possumus, nec debemus, nisi sicut in litteris divinitus inspiratis relogimus. Sanctus si quidem Paulus fornicatores et adulteros idolis servientibus junxit, dicens, *quia regnum Dei non possidebunt* (I Cor. vi, 9), et cum his nec cibum sumere jussit. Et item scripsit : *Quia fornicatores et adulteros judicabit Deus* (I Cor. v, 11; Hebr. xiii, 4). Sed et ipsi viri qui, ut ostendimus, pari legis iudicio sicut et mulieres apud Deum tenentur, si adulteraverint, et tanto etiam graviore pœna damnentur, quanto capita et rectores sunt mulierum, fragilioris scilicet sexus et vasis infirmioris, licentia indebita non debent præsumere, ut uxores suas adulterantes damnent sine iudicio, dicente in lege Domino de servo, qui pecunia domini sui est : *Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit* (Exod. xxi, 20). Unde et sacri canones, si quis servum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennii effu-

sionem sanguinis præcipunt expiare (*concil. Agath., can. 62*); et : « Si domina ancillam flagellis verberaverit, et inde mortua fuerit, si voluntate hoc accidit, post septem annos, et si casu, post quinquennii tempora ad commnionem præcipit eam admitti, servata auctoritate de viatico munere, quod nulli est etiam in ultimo spiritu denegandum (*conc. Elib. can. 5*). » Si igitur in domo uniuscujusque Christiani tanta æquitas et bonitas etiam erga servilem conditionem servanda est inter dominum et servum, quanto major et uberior ac plenior custodienda est inter maritum et uxorem, inter virum et conjugem, inter caput et corpus? quoniam, sicut Apostolus docet (*Ephes. v, 22*), vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis: ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Attendat vir Christianus si pes vel manus, aut genitale, vel quodcunque aliud membrum putrescere, vel cancro comedi cæperit, **597** cum quanta diligentia et inspectione ac iudicio medici, illud aut sustinebit ut sanari valeat, aut a se abscidet si sanari nequiverit, et ita de membro, imo de corpore, id est de uxore sua faciat. Unde rursum idem Apostolus dicit: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut illum sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo* (*Ephes. v, 25*). Certe enim apostolicis viris tanta inter virum et uxorem, et tam præcipua atque excellens dilectio commendatur, salva tamen in ipso conjugio prælatione viri, et subjectione feminae, ut in illa conjunctione semel a Deo instituta, et legitime conciliata, major esse nec debeat, nec possit. Quid enim venerabilius quam ut conjugium mysterium sit Christi et Ecclesiæ? Quid sanctius quam ut sic diligant viri uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, tradens seipsum pro ea, ut illam sanctificaret atque mundaret? Quid charius atque conjunctius, quam ut vir caput sit mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ ipse salvator corporis? Qui etiam in Evangelio de hac conjugii unionione testatur dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Erunt enim, inquit, duo in carne una* (*Matth. xix, 5*). Addit adhuc Apostolus dicens: *Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas* (*Col. iii, 19*). Si ergo viri erga uxores suas non debent esse amari, quanto minus sævi, crudeles, cruenti, nullam eis servantes legem, nullam rationem, nullum iudicium, quod etiam erga servos Christiana religione custodiendum est, sed mox ut eis placuerit, indignatione et furore impio concitati, tanquam ad macellum illas duci faciant laniandas, et coquorum suorum gladiis more vervecum atque porcorum mactari præcipiant, vel ipsi etiam manu et mucrone proprio eas trucident, nequaquam semetipsos ad imitationem Domini nostri Jesu Christi tradentes pro eis, ut illas sanctificent et mundent; sed potius zelo libidinis suæ ipsas in æternum dis-

perdentes, et se earum sanguine impio polluentes, cum in hujusmodi causa tanto justius expectandum esset legitimum iudicium, quanto facilius maritali zelo potest perpetrari homicidium? Ex his nonnulli tam immites, et non humanæ affectionis, sed beluinae immanitatis inveniuntur, ut prioribus uxoribus ex suspitione adulterii, nulla lege, nulla ratione, nullo iudicio, sed sola sua animositate et crudelitate, vel libidine ad aliam uxorem vel concubinam tendente, occisis, adhuc sanguine recenti madentes, non solum nulla pœnitentia compuncti, aut aliqua humilitate Deo et Ecclesiæ satisfaciunt, sed exultantes in superbiis suis, incunctanter ad altare Christi accedant, et indifferenter sacra mysteria contingere præsumant. De quibus mysteria sua accipientibus semper dicit Christus quod dixit de Juda: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa* (*Luc. xxii, 21*), cum sine suo mortali periculo de peccantibus uxoribus poterant absolvi iudicio, quod illi non expectantes, sed divinæ legis prævenientes iudicium, incurrunt in damnationis **598** iudicium. Defendant se quantum volunt qui ejusmodi sunt, sive per leges, si ullæ sunt, mundanas, sive per consuetudines humanas. Tamen si Christiani sunt, sciant se in die iudicii nec Romanis, nec Salicis, nec Gundobadis, sed divinis et apostolicis legibus iudicandos. Quamquam in regno Christiano etiam ipsas leges publicas oporteat esse Christianas, convenientes videlicet et consonantes Christianitati. Lex namque omnipotentis Dei in tres species dividit omnia, quæ homines in mundanis rebus subdita habere vel possidere videntur, cum in Decalogi præceptis definit et dicit: *Non desiderabis uxorem proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non ovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt* (*Exod. xx, 7*). In quibus verbis sine dubio aliter consideranda est dignitas uxoris, aliter conditio servorum et ancillarum, et aliter vilitas brutorum animalium, sive insensibilium rerum, et ideo omnia ista suis meritis tractanda, suis gradibus discernenda ac iudicanda sunt. Hæc dicimus, ut considerent qui ejusmodi sunt, quia inordinato ordine viliorum apud se teneant conditionem uxorum, quam servulorum; et si de servo absque conscientia iudicis occiso dominus ejus homicidii reus existit, nec effusionem sanguinis nisi per pœnitentiam potest expiare, quid de conjugio sentiendum sit. Non autem hoc dicimus, ut iudicia debita conculcemus vel prohibeamus, sed illa potius expeti, et sequi hortemur, cum sciamus legem Dei, qua omnis Christianus in die iudicii iudicabitur, ut recipiat secundum opera sua, nullum reum, nec ipsos adulteros, vel adulteras puniri permittere, nisi sub legitimis iudicibus et testibus, quos etiam publico iudicio a populo lapidari præcepit. Unde et Susanna, cum falso adulterii crimine accusaretur (*Dan. xiii*), et publico iudicio condemnata, et publico legitur absoluta. Et mulier in adulterio veraciter deprehensa (*Joan. viii*), primum juxta legem ad Phariseos, qui potestatem iudicii in populo exercebant, deinde etiam tentandi

gratia ad Domini iudicium perducta est, qui non iudicium abnuit, sed fieri iuste, et a justis præcepit.

Quapropter, si quæcunque mulier in adulterio deprehensa, de lege Moysi, quam Dominus in Testamento Veteri promulgavit, vel de Christianorum legibus publicis, quas amplectitur sancta Ecclesia, ad episcopale iudicium venerit, medicina est manifestissima atque sufficientissima, et salubri apostolorum traditione virorum confecta, qua sine ullo ambiguitatis errore, divina gratia et ecclesiastica pietate medicari valebit.

INTERROGATIO VI.

Tertio capitulo nobis remandari precamur, si de stupro et aborsu præfata femina denotatur, unde jam egit iudicium, quid **599** vobis ex eodem iudicio videatur, quoniam quidam dicunt nullius esse auctoritatis, sive credulitatis iudicium, quod fieri solet per aquam calidam, sive frigidam, neque per ferrum calidum, sed ad inventiones sunt humani arbitrii, in quibus sæpissime per maleficia falsitas locum obtinet veritatis, et ideo credenda esse non debent. Sed et de purgatione sacramenti quid vobis videatur, cuius auctoritatis sit, nobis rescribi deprecamur, et utrum verum esse possit, quod quidam dicunt, quia pro secreta confessione, quam ipsa femina fecit, sicut et testis est qui illam suscepit, vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus evasit. Sed et dicunt, quia intentio illius feminae fuit de alio ejusdem nominis fratre suo, quando vicarium suum in iudicium misit, et idcirco se in eodem iudicio non coxit. Necnon, et si in iudicio, vel in sacramento, fraus quæcunque reperta fuerit per datam purgationem, utrum causa in iudicio, vel sacramento purgata, in iudicium debeat legale reduci.

RESPONSIO.

At si de stupro et aborsu ante initum conjugium agitur, de quibus præfata feminam reputari comperimus, veniendum est prius ad examinationis iudicium, quo eam quasi purgatam audivimus, et sic demum ponamus ex aliis quæ sentimus, ut si hæc fortasse rata est duenda purgatio, sine ulteriore labore quæstio conquiescat, et si irrita et iuste rationabiliter fuerit comprobata quæstionis pelagus repetamus. Nam sicut Paulus dicit: *Fides est sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium* (Heb. xi, 1). Quod exponit Joannes Constantinopolitanus: « Quoniam, inquit, ea quæ non videntur, et sunt in spe, sine substantia esse putantur, sed fides eis tribuit substantiam. Sicut resurrectio nondum facta est, et necdum est in substantia, sed fides certæ spei facit eam subsistere in anima nostra, quæ argumentum, id est conjectio est eorum quæ non videntur. » Conjectio quippe est in rebus admodum manifestis. Fides igitur visio est non apparentium, quæ ad eandem satisfactionem ducit, ad quam illa etiam quæ videntur: neque fides dici potest, nisi **600** circa ea quæ non videntur, amplius quam circa

A ea quæ videntur, satisfactionem quisquam habuerit, Quæ de re ad investiganda ac comprobanda, et quasi oculato visui præsentanda quæ dubia vel obscura, quæ ex lege iudiciario ordine probari vel convinci non possunt, duo sanxit auctoritas, iudicium scilicet, et iuramentum, quod usitato nomine appellatur et sacramentum, quia in eo illud oculis fidei pervidetur, quod corporis oculis non conspicitur.

De iudicio siquidem in libro Numeri scriptum est (Num. v, 12): *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios Israel, et dices ad eos: Vir cuius uxor erraverit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro: si spiritus zelotypiæ concitaverit virum **600** contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspitione appetitur. Et post computatum iudicium ad quod proinde exire debeat, addit: Quod si polluta non fuerit, erit innoxia; et si polluta inventa fuerit, maritus absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam (ibid., 28).* De iuramento autem vel sacramento, ad Hebræos Paulus dicit apostolus: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum. Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum (Heb. vi, 15).* Junior quoque papa Gregorius per Denualdum presbyterum Bonifacio episcopo scripsit (epist. 11, cap. 3): « Presbyter, inquit, vel quilibet sacerdos a populo accusatus, si certi non fuerint testes, qui criminis illati approbent veritatem, iusjurandum erit in medio, et illum testem proferat de innocentia suæ puritate, cui nuda et aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu. » Quæ sacramenti purgatio et in ecclesiasticis, et in exteris legibus usitatissima, et de fidei veritate etiam a primis sæculis esse constat exorta. Unde silentio venerantes quæ in Veteri et in Novo Testamento et ab ipsa dicitur Deitate, ut, *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus (Gen. xxii, 16).* Et, *Juravit Dominus, et non poenitebit eum (Psal. cix, 4),* et plura alia. Et, *Amen, amen dico vobis.* Multum quippe commendat Dominus quod ita pronuntiat, quia quodammodo, si dici fas est, iuratio ejus est, *Amen dico vobis.* Amen enim interpretatur verum, et tamen non est interpretatum. Cum potuisset dici, *verum dico vobis,* nec Græcus hoc interpretatus est facere, nec Latinus. Sic mansit, non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti, non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Igitur verum dico vobis Veritas dicit, quæ utique etsi non diceret, mentiri omnino non posset, tamen commendat, inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult. Sed et Abraham ad servum suum dixit: *Pone, inquit, manum tuam sub femore meo, et iura mihi per Deum cæli (Gen. xxiv, 2).* Et rex ad Abraham, *Jura mihi per Deum, et Abraham ait: Ego iurabo (Gen. xxi, 23).* Et Isaac atque rex Abimelech

sibi mutuo juraverunt (*Genes. xxvi*). Et in Jeremia, **A** *Ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus (Jer. xliiv, 26)*. Et David: *Juravi et statui (Psal. cxviii, 106)*. Et in Novo Testamento legimus dixisse apostolum: *Testis est mihi Deus (Rom. i, 9)*. Et: *Ecce coram Deo quia non mentior (Galat. i, 20)*. Et: *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres (I Cor. xv, 31)*. Et in epistolis Leonis atque Gregorii, hinc qui voverit quærere abundanter inveniet. Quantum denique in juratione perjurium sit cavendum, Dominus demonstrat in Exodo dicens: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra (Exod. xx, 7)*. In vanum quippe et frustra, non ut nihil sit, sed ut ei qui nomen Domini Dei sui in vanum et frustra acceperit, nocivum ut criminis reo sit. Item in Levitico Dominus dicit: **B** *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui. Ego Dominus (Levit. xix, 12)*. Et sanctus David in psalmo: *Qui jurat proximo suo, et non decipit (Psal. xiv, 4)*. Jurare est, **601** inquit Cassiodorus, hominum, sub testatione divina aliquid polliceri. Jurare enim dictum est, quasi jure orare, id est juste loqui. Tunc autem quispiam juste loquitur, quando ea quæ promittit implentur. Et sanctus Ambrosius in epistola (*epist. 30*) ad Valentinianum imperatorem: « Quid est jurare, nisi ejus quem testaris fidei tuæ præsulcm divinam potentiam confiteri? » Et item dicitur in psalmo: *Nec juravit in dolo proximo suo (Psal. xxiii, 4)*. Per dolum itaque jurat quisquis aliter facturus est quam promittit, credens perjurium non esse de- **C** **cepisse** nequiter credentis errorem. Et hinc sanctus Hieronymus: « Multi sunt, inquit, qui dolose jurant, ut decipiant proximum, quod abominatur Pater luminum, dicente Petro: *Non es hominibus mentitus, sed Deo (Act lrv)*. Et in libro Regum scriptum est, quia quando facta est fames in diebus David tribus annis jugiter, et consuluit David oraculum Domini, dixit Dominus: *Propter Saul, et domum ejus, et sanguinem, quia occidit Gabaonitas (II Reg. xxi)*. Filii quippe Israel juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda, dicens Josue gratis eosdem Gabaonitas vivere permisisse. Hinc patet quanta impietas est perjurium, cui Dominus tantam imposuit ultionem. » Et Jeremias propheta, *Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, jurare mendaciter (Jer. vii, 9)*. Hinc ergo pensandum est quantum crimen sit jurare mendaciter, quod adulterio, et homicidio, ac furto conjunxit propheta, quorum perpetratores Apostolus (*I Cor. vi, 9*) regnum Dei dixit non possidere. Et Hieronymus in expositione ejusdem prophetæ: « Poterat fieri ut aliqui invenirentur in populo, qui simularent cultum Dei, et jurarent per Dominum. Hoc prævenit, quod nequaquam Deus vanis sermonibus, sed veritate fidei delectetur et dicet: Non eos diligo qui jurant per me, et jurant in mendacio, sed quorum corda labia-

que consentiunt. Et in Zacharia propheta: *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, et commorabitur in medio ejus, et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus (Zach. v, 3)*. Et in Ezechiele propheta: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur (Ezech. xvii, 16)*. Spreverat enim, inquit Hieronymus, Sedechias juramentum, ut solveret fœdus, et cum omnia hæc fecerit, non effugiet. » Et item Hieronymus, « Ecce, inquit, dedit manum suam regi Ægypti, et tradidit se, et perjurii contra Deum commisit sacrilegium. » Et hinc item Hieronymus: « Ne putaremus juramentum, et fœdus, et pactum regis esse Babylonii, vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur: in prævaricatione qua despexit me. Ergo qui contemnit juramentum, illum despicit per quem juravit, illique facit injuriam, cujus nomini credidit adversarius. Quidquid igitur contra Sedechiam **602** fecit Nabuchodonosor (*IV Reg. xxv*), non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cujus nomine fuerat perjuratus. Legimus enim Sedechiam captum, ductum in Reblata, ibique interfectis filiis excæcatum, et instar feræ clausum cavea, translatum in Babylonem. » Et sanctus Cyprianus in nono abusio- nis gradu, « regis ministerium esse dicit, impios de terra perdere, parridas et perjuros vivere non sinere. » Et sanctus Gregorius in homilia Evangelii de Martyribus: « Ad exincta, inquit, eorum corpora viventes ægri veniunt et sanantur: perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt et liberantur. » Hinc ergo colligendum est, quantum peccatum sit perjurare in nomine Domini et sanctorum ejus, quod et sacrilegium, ut præmisimus, dicit esse sanctus Hieronymus. Sed et quantum temeritas jurandi vitari debeat, nisi magna exegerit necessitas, aut aliorum qui non credunt veritati utilitas, ut credant, et paci ac concordie per sacramentum consulatur, cavenda sit. Et Dominus in Evangelio demonstrat dicens: *Nolite jurare (Matth. v, 34)*. Et Jacobus in epistola sua: *Ante omnia, inquit, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum: sit autem sermo vester, Est, est, Non, non, ut non sub judicio decidatis (Jacob. v, 12)*: illo videlicet judicio, sub quo decidit Herodes, ut vel pejerare, vel perjurium cavendo aliud necesse haberet patrare flagitium. At sit aliquid forte nos incautius jurasse contigerit, quod observatum scilicet pejorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriore mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum (*I Reg. 25*). Denique juravit David per Dominum, occidere Nabal, virum stultum et impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent demoliri: sed ad primam intercessionem Abi-

gail feminae prudentis, mox remisit minas, revocavit ensem in vaginam, neque aliquid culpae se tali perjurio contraxisse doluit. Juravit Herodes dare saltatrici quodcumque postulasset ab eo, et ne perjurus diceretur a convivis, ipsum convivium sanguine polluit, dum propheta mortem saltationis fecit praemium. Non solum autem in jurando, sed in omne quod agimus, haec est moderatio solertius observanda, ut si talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum potius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernamus, et juxta exemplum eorum, qui hostilibus clausi muris, dum evadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, ubi muro existente brevius minimum periculi cadentis incurrant. Et hinc ex sanctis Scripturis, et catholicorum dictis, quidam orthodoxus et insignis poeta inter alia scripserit dicens :

At si jurandi te causa perurget et ardet,
Id puris verbis, id gere mente pia.
603 Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,
Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent :
Qui, non ut juras, sed ut is jurasse putavit
Cui juras audit, sicque es utrique reus,
Nempe Deo, in vanum cujus vis sumere nomen,
Seu socio, quem atra fallere fraude paras.
Si scelus ut facias jures, vota irrita sunt :
Hoc illo est gravius, vulnus utrumque tamen.
Vulnera parva minus, magis et majora fatigant :
Felix qui nullo vulnere laesus abit.

Cæterum de judicio, postquam dixit Dominus de suo adventu ad futurum judicium, quod erit per ignem, commemorans illud quod per aquam est factum, *Sicut, inquit, factum est in diebus Noe, ita erit et in die filii hominis (Luc. xvii, 26)*. Et referens quod per ignem Sodonam judicaverit, *Similiter, inquit, sic factum est in diebus Lot*. Christianitas ex antiquo, quæ inter acta est et agenda judicia, sanxit et frequentavit judicium quod sit per aquam, quodque sub Noe factum fuerat (*Genes. xix*), in arca fidei liberans innocentes, et condemnans noxios : in ignita autem aqua, sicut factum est sub Lot in igne, et flendum est in adventu filii hominis, Petro attestante, qui dicit : *Quod cæli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens verbo Dei, per quæ ille tunc mundus periiit. Cæli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in die judicii et perditionis hominum impiorum (II Petr. iii, 6)*. Aperte docens quia non alii cæli sunt igne perituri, quam qui aqua perdit, hoc est, inania hæc et nubilosa ventosi aeris spatia. Neque enim aqua diluvii, quæ quindecim tantum cubitis montium cacumina transiit, ultra aeris ætherisque confinia pervenisse credenda est. Quocumque autem pervenire potuit, eo nimirum juxta præfatam beati Petri sententiam, et ignis judicii perveniet. Sed quia scriptum est, *Cælum et terra transibunt (Matth. xxiv)*, et iterum, *Terra vero in æternum stat (Eccle. i, 4)*, sciendum est, quia cælum et terra, per eam quam nunc habent imaginem transeunt, attamen per es-

sentiam sine fine subsistunt. Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor. vii*) : *Et erunt, inquit, cælum novum, et terra nova (II Petr. iii)*. Quæ quidem non alia credenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Transeunt, et permancebunt ; quoniam ab ea specie, quam nunc habent tergentur, et in sua semper natura servantur, unde scriptam est, *Mutabis ea, et mutabuntur (Psal. ci, 27)*. Quapropter fieri aquam ignitam, ad hæc duo copulata in unum indaganda judicia, illud videlicet, quod jam per aquam factum est, et illud quod per ignem flendum est, licet sint pro temporum varietate disparia, sed unum sunt operationis mysterio, in quibus sancti liberantur illæsi, et reprobi puniuntur addicti, Ecclesiae, quam designavit arca diluvii, creditur tradidisse auctoritas, quæ etiam inde sanxit, ut aquæ baptismatis halita sacerdotali sanctus insuffletur Spiritus, qui inter ipsa mundi primordia ferebatur super aquas, ut **604** jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet, et quo rubigo omnium excoquitur peccatorum, cerei lumine sanctificato accensi, a loco teneantur immissi, donec ejusdem fontis consecratio compleatur per eum qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signavit, ut unius ejusdemque elementi mysterio, et finis esset vitiiis, et origo virtutibus, quique venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Quia in eodem baptismo, in quo signanter Moyses propheta lignum velut in myrrhato fonte miserat et dulcoratus est, prædicata per Domini sacerdotem sanguinis Christi cruce, tres unum sunt, non natura, sed operationis mysterio, id est sanguis redemptionis, spiritus sanctificationis, et aqua lavacri, ubi exsufflatus et exorcizatus immundus spiritus exit ab homine, fitque mundi judicium, et princeps mundi foras ejicitur ; et qui in veritate non stetit, mendax et pater mendacii a veritate naturæ secernitur, quæ ad imaginem Dei condita, et ex aqua et Spiritu sancto renata, ad suum reformatur principium, ac fide interius exteriusque purgatur, et ab omni figmento mendacii totiusque malitiæ innocens comprobatur. Sed et si quis frigida tantum aqua, vel igniti cujuscunque elementi judicio, in auctorem et gubernatorem elementorum, quem omnia fideliter invocatum sentiunt elementa, sicut in **D** Moysi virga, et aquæ in sanguinem versæ, et iterum sanguis in aquas, et petra quæ dedit aquam, et sub Eliseo sal vel lignum aquæ immissum, indubitanti fide, quæ est argumentum non apparentium, credens fidei satis sibi decreverit, nihil differt. Aqua enim frigida, sicut et in baptismo sacrat, in diluvio innoxii cum arca sunt ad cælum levati, et noxii perdit, igneque sunt Sodomitæ puniti (*Hebr. xi, 1*). Et in libro Numeri, aqua frigida, in qua Dominus imprecationes jussit elui, hausta a muliere adultera, computrescendum femur ipsius legitur ; et Joannes apostolus de olei ferventis dolio evasit illæsus. Et qui aquam ignitam delegerit, intelligat

quoniam venientem ad futurum iudicium terribilem iudicem tempestas ignisque comitabuntur, sicut scriptum est : *Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (Psal. XLIX, 3), ut tempestas examinet quos ignis exuret, et ignis ille futurus sanctis erit pervius, qui rapiuntur nubibus obviam in aera Domino, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Quoniam quidem de purgationis iudicio per aquam ferventem vel frigidam se ratio intulit, dicamus quod quidam sagacis ingenii percunctantes adjiciunt. Constat nimirum, ut inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, et innoxii liberantur incocti, quia de igne Sodomitico Lot justus evasit inustus, et futurus ignis, qui præbit terribilem iudicem, sanctis erit innocuus, et scelestos aduret, ut olim Babylonica fornax, quæ pueros omnino non contigit, neque contristavit, vel quidquam molestiæ eis intulit, sed vincula eorum comburens, incendit quos reperit de Chaldæis ministros regis, qui eam succendebant. Sed in aquæ frigidæ iudicio non constare videtur, quod innoxii submerguntur, et aqua culpabiles supernatant, cum in cataclysmi iudicio innocentes cum arca levantur, et noxii submersione perierint, et Ægyptii insequentes Hebræos per mare Rubrum, respiciente Domino, in vigilia matutina per columnam ignis et nubis, submersi sint quasi plumbum in aquis vehementibus, et ne unus quidem superfuit ex eis. Et filii Israel super littus stanfes viderunt Ægyptios mortuos; et infideles ac peccatores terra sustinere non potuit, quando aperta est, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron. Et Petrum fide fidentem aquæ instabilitas se calcantem sustinuit : in fide vero dubitantem jam pene dmersum obsorbuit, quando eum Christi dextera allevavit. Et ipsius epistolæ sententiam de figura baptismatis in arca diluvii exponentes Patres catholici dicunt, quia non aliis, sed ipsis aquis hæretici et mali Christiani ad inferna merguntur, quibus orthodoxi et justii quique ad cœlestia regna sublevantur. Sed sciendum nobis est, ut beatus dicit Gregorius (*hom. 26 in Evang.*), « quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Et cum Paulus apostolus dicat : *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (Hebr. XI, 1), profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt : quæ enim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. « Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera (Greg., *ibid.*), quæ ex semetipsis comprehendere nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. » Et idcirco Dominus quædam de Scripturis per semetipsum dignatus est exponere, ut sciamus rerum significationes querere in his etiam quæ per semetipsum noluit explanare. Unde in responsum accipiant, qui in divinis iudiciis atque miraculorum signis experimentum

humanæ postulant rationis, quoniam et justos continens arca, qua fidelium est designata Ecclesia, fides sanctæ Trinitatis per incarnationem Jesu Christi ædificata, et omnes, de quibus dixit Dominus : *Finis venit universæ carnis : coram me repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra* (Genes. VI, 13), superfluenta aqua operiti, et non omnes submersi sunt, sed innoxii liberati, et puniti sunt noxii sicut scriptum est : *Ingressus est Noe, et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquam diluvii* (Genes. VII, 1); et post paululum : *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli apertæ sunt, et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus*. Et item : *Et multiplicatæ sunt aquæ, et levaverunt arcam in sublime a terra*. Et post pauca ; *Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram : remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca*. Et item post pauca : *Et clausi sunt fontes abyssi et cataractæ cæli*. Et nubes una tenebrosa facta est Ægyptiis et luminosa Hebræis, ut iterum scriptum est : *Tollensque angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israel* (Exod. XIV, 20). Et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Et una eademque virga, extenta super aquas, quæ erant quasi pro muro a dextris et a sinistris, filios Israel transduxit, sicut scriptum est (Sap. X, 18), per aquam nimiam, et involvit Ægyptios in mediis fluctibus, ut ne unus quidem superfuerit ex eis, quos viderent Israelitæ mortuos super littus maris, quos respexerat Dominus in vigilia matutina, ut diximus, in columna ignis et nubis, et expandit nubem in protectionem suorum, et ignem ut luceret eis per noctem (Psal. CIV, 39), videlicet Christum, qui est columna lucis tenebras infidelitatis depellens, et lucem veritatis ac gratiæ spiritalis affectibus humanis infundens, et per columnam nubis, qui est Spiritus sanctus; in quo baptisate typus baptismatis jam sicut et in diluvio monstrabatur. Adhuc addamus quia invocavit Elias nomen Domini Dei sui, et descendit de cælo ignis. Invocavit et Elisæus nomen Domini, et de aqua ferrum securis levatum est ad manubrium ligneum, et supernatavit aquis : gravius animæ est ferri species quam aquarum liquor; advertimus igitur majoris esse gratiam quam naturam. De his omnibus beati Ambrosii sufficiat explanatio, ut colligi possit assimilatio, cur in frigidæ aquæ iudicio unius fiat mercio, alterius sublevatio. Ait enim in libro de Sacramentis sive mysteriis (*lib. II, c. 6*) : « Verumtamen, ne in hoc sæculo diaboli fraus vel insidiæ prævalerent, inventum est baptisma; de quo baptisate audi quid dicat Scriptura, imo Filius Dei, quia Pharisæi, qui noluerunt baptizari, baptismo Joannis, consilium Dei spreverunt; ergo baptisatus consilium Dei est. » Et post paululum : « Quod mergis, solvi-

tur sententia illa: *Terra es, et in terram ibis*. Impleta sententia, locus est beneficio remedioque cœlesti. Ergo aqua de terra. Possibilitas autem vitæ nostræ non admittebat ut terra operiremur, et de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat, ideo fons quasi sepultura est. » Cæterum, ut dicit Apostolus: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudicendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (II Tim. III, 16). Et sicut in Patrum catholicorum dictis legimus, margaritum est sermo divinus, quod ex omni parte forari potest; et qui ad instructionem fidelium scripturarum testimonia profert, etiamsi aliter illa exposuerit, quam ea intellexerint per quos fuere prolata, non est fabricator mendacii: salvo majorum intellectu, hinc dicam quod ex eorum verbis pro exiguitate ingenii mei exsculpere conjiciendo posse suspicor. Sanctus Apostolus docet Rubrum mare, quod subduce **607** Moyse patres nostri transierunt, baptismum Christi sanguine rubricatum, et ipse Moyses ducem Christum, qui nos per baptismum eduxit de Ægyptia servitute ad terram repromissionis, videlicet de peccati servitute, et mortis dominatione, in libertatem gloriæ filiorum Dei, et in regnum æternæ vitæ, præfiguravit, sicut et petra per desertum consequens populum, qui nos in eremo istius sæculi mysteriis suis consequitur. Unde item dicit de baptismo idem Apostolus: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte* (Rom. vi, 3). « Quid est, inquit Joannes Chrysostomus, in morte ipsius baptizati sumus? ut et ipsi moriamur, sicut et ille. Crux enim est baptisma. Quod ergo crux Christi et sepulcrum, hoc nobis baptisma factum est, tametsi non eisdem ipsis. Quapropter non dixit, complantati morti, sed similitudini mortis, ipse namque carne et mortuus est et sepultus, nos autem peccato in utroque. » Quibus dictis colligi posse videtur ut consepultus Christo per baptismum in mortem, et liberatus per eundem baptismum a morte, et per peccatum ad eandem servitutem et mortem reversus: *Anima, inquit, quæ peccaverit, ipsa morietur* (Ezech. XVIII, 4 et 27). Complantetur similitudini mortis in aqua, ut aut noxius comprobatus, velit nolit, quia sæpe bona invitis præstantur, confiteatur, et per emendationis ac correctionis confessionem liberetur iterum a morte commissi peccati: aut innoxius Dei judicio demonstratus, inter peccati reos non teneatur a nobis, complantatus similitudini mortis in aqua. Mare quippe, sicut supra ostensum est, baptismum designans nihil in se mortuum retinet, quod, ut scriptum est, mortuos Ægyptios eiecit super littus. Ergo Ægyptius mortuus (Exod. XIV, 31), id est peccato obnoxius, quandiu negando in peccati sui morte manet, ab aqua invocatione veritatis, quæ Christus est, sanctificata non recipitur, non tenetur. Veniat autem ligatus institis iniquitatum suarum foras de latebris malæ conscien-

tiæ consistendo, et per confessionem veritatis pelietur in aqua, quasi quodammodo complantatus similitudini mortis verissimæ veritatis, liberatus a morte, et innoxius a peccato, et innoxius eadem veritate. Colligatur autem fune qui nandus in aquam dimittitur, quia, ut scriptum est, funibus peccatorum suorum unusquisque colligatur. Qui ob duas causas colligari videtur, ne aut aliquam possit fraudem in judicio facere, si aqua illum velut innoxium receperit, ne periclitetur, ad tempus valeat retrahi. Nam et Marcus quatuordecim annorum mortuus, per quem deus unusquisque criminum mole sepultus, ligatus in pulvis, et eisdem colligatus institis a sepulchro mino vocante, legitur egressus, et ipsius discipulis disligatus. Et hoc examinandus colligatur in aquam dimittitur, et colligatur hitur, et aut purgatus statim judicio arbitri solvitur, aut usque ad purgationem colligatur examinatur. Et item in sacra historia legitur venit Elias ad Jordanem cum discipulo **608** et involuto pallio suo percussit aquas, quæ sunt, et transierunt ambo. Postea levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei, et veniens aquam percussit aquas, atque invocato Deo, Elias ac transiit. Recte enim per Jordanem fluxus mortalitatis exprimitur, quia et Jordanis Licitur descensus eorum, scilicet Christianorum, inquit Gregorius (*Moral. xxxiii, cap. 6*), in flumine ipse auctor redemptionis nostræ benedignatus est, recte Jordanis nomine eorum mortis exprimitur, qui inter sacramentum baptismi nentur. Unde scriptum est in Job de antiquo humani generis: *Et habet fiduciam quod in Jordanis in os ejus* (Job. XL, 18). Quia postquam deus quosque a mundi origine rapuit, et posse suscipere etiam fideles præsumit. Ne pestiferæ persuasionis eos quotidie devorantibus a confessione fidei reproba vita discordantibus ac si pallio Eliæ involuto aqua percutitur, et per eam transitus præparatur, quantum præmisimus ex verbis sancti Gregorii, colligatur et in aquam dimittuntur: et quasi aqua dimittitur, et cum aut quosdam aqua recipit, et innoxios colligatur, et aut quosdam rejicit, et noxios esse demones transitus præparatur, cum aut quidam a criminibus ad innoxios transferendi judicantur a negatione sua rei inter criminum noxios dimittuntur. Nam et quando qui periclitantur qui est noxius, in aquam examinandus dimittuntur, secundum quemdam modum baptismalis Dominus invocatur, quatenus unde requiritur demonstratur, et tenebras tæ nostræ illuminare dignetur, ne aut innocens a nobis damnetur, aut nocens sua ne aut diabolica fraude, aliquo modo impunitus. Sed et ipse qui examinandus in aquam dimittitur, invocationem invocantium sua responsione tatione confirmat, juxta formam quodammodo baptismum, sicut sanctus Ambrosius in libr

cramentis dicit (*lib. II, c. 7*). « Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixit, Credo, et mersisti, hoc est sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? dixisti, Credo, et mersisti: ideo et Christo es consepultus; qui enim Christo consepelitur, Christo resurgit. Tertio interrogatus es, Credis et in Spiritum sanctum? dixisti, Credo. Tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. Denique, ut vobis afferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus, postquam in passione Domini lapsus videtur conditione humana, qui antea negaverat, postea ut illum lapsum aboleret et solveret, tertio interrogatus a Christo si Christum amaret, tum ille dicit, Tu nosti, Domine, quia amo te (*Joan. XXI, 17*). Tertio dixit, ut tertio absolveretur. » Sic et inventus in iudicio noxius, si fuerit forte super plura suspectus, iterato est iudicio examinandus, quousque inveniatur emendationis confessione probatus. **609** Et ad hoc assumamus sancti Ambrosii verba dicentis: « Denique, ut vobis afferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus, postquam in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui ante negaverat, postea, ut illum lapsum aboleret et solveret, tertio interrogatur a Christo si Christum amaret. Tum ille dicit, Tu nosti, Domine, qui amo te: tertio dixit, ut tertio absolveretur. »

Et quoniam, sicut supra ostendimus divina auctoritate baptismum esse iudicium, unde et Jordanis Baptisma designans interpretatur rivus iudicii quo Princeps mundi mendax et pater ejus foras eicitur, et baptismus Dei est consilium, divini viri ad ignota investiganda invenerunt iudicium aquæ frigidæ; in quo aquæ frigidæ iudicio, ad invocationem veritatis, quæ Deus est, qui veritatem mendacis cupit obtegere, in aquis, super quas vox Domini Dei majestatis intonuit, non potest mergi, quia pura natura aquæ naturam humanam, per aquam baptismatis ab omni mendacii figmento purgata, iterum mendacis infectam, non recognoscit puram, et ideo eam non recipit, sed rejicit ut alienam. Et ut in baptisate ab homine spiritus immundus, id est princeps hujus mundi eicitur, ita et qui a diabolo, principe videlicet mundi hujus, per peccatum reoccupatus, sicut scriptum est (*Matth. XII; Luc. XI*): Quia cum exierit ab homine, revertitur ad eum a bonis operibus vacantem, imo vacuum, cum aliis septem spiritibus nequioribus se, ab aqua invocatione divini nominis sacra rejicitur. Quem hominem, non naturalem, sicut ex aqua et spiritu renatus est, et purgatum, non carnis depositone sordium, sed interrogatione et confessione conscientie bonæ in Deum, verum potius talem, de quo in Levitico (*Levit. XXII, 3*) scriptum est; sentit: *Omnis, inquit, homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Non dicit, in quo fuit immunditia. Immunditia quippe*

A ejus in ipso est, qui mendacis contegit veritatem, et idcirco de stirpe sacerdotali: *Nos, inquit, genus electum, regale sacerdotium (I Petr. II, 9), et in Apocalypsi: Fecisti nos regnum Deo, et sacerdotes (Apoc. V, 10), ad ea quæ consecrata sunt Domino accedens, quandiu immunditia ejus in ipso est, non poterit aquis invocatione Dei sanctificatis immergi, ut innoxius pareat, sed pereundus monstrabitur. Expurgate, inquit Apostolus, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi (I Cor. V, 7). Ac si patenter dicat: Reputatum de crimine, atque negantem, quem idoneis testibus iudiciario ordine comprobare nequitis, aut sacramento, aut Dei iudicio, expurgate, ne in medio vestri manens anathema, dicatur vobis: Anathema in medio tui, Israel, non poteris stare coram inimicis tuis (Jos. VIII, 13). Et item dicit Apostolus: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum (Ephes. V, 11). Unde Augustinus: « Nolite communicare, hoc est nolite consentire, et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, magis, inquit, et redarguite. **610** Duobus modis te non maculat malus, si non consentias, et si redarguas. Igitur arguendus est peccator, et si negaverit, et ordine iudiciario probari non poterit, examinetur, ut probatus manifestus fiat, et reprobatus latere non possit. Deprehensus autem confiteatur et pœniteat, et non tenebitur fune peccatorum suorum, quo est illigatus, ut non mergatur, et lavetur aqua salutari perfusus lacrymis, et dimergantur ut Ægyptii, et qui corrupti erant carnali corruptione coram Domino, sicut plumbum in aquis vehementibus (Exod. XV), et secundum prophetam, Projiciantur iniquitates ejus in profundum maris (Mich. VII, 19). Quia antea cum mendacis suo mergi ut ablueretur non poterat, donec confessione a se illud in profundum projiceret, et ablutus emergeret, qui ante confessionem sicut ferrum Elisæi premebatur aqua, usque dum invocatione divini nominis ad lignum rediit, ita nihilominus negans peccati pondere premitur anxia conscientia, usque dum pronuntians impietatem peccati sui Domino, in cujus ligno crucis omnium hominum, ut dicit Ambrosius, levatur infirmitas. Et hoc est diluvium quod et baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola justi mens et gratia resuscitatur, pridem quippe morti negatione peccati. » Legat devotis librum dialogorum beati Gregorii (*lib. II, cap. 23*), et inveniet sanctimoniales non correctas, et pro incorrectione sua a sancto Benedicto excommunicatas, post mortem tempore communionis de sepulcris ab Ecclesia, quia non communicabant, exiisse, post reconciliationem autem se in suis sepulcris continuisse. Et pueri monachi corpus a terra teneri non potuisse (*ibid., c. 24*), quia Benedicti gratiam non habebat. Et vas vitreum (*ibid., c. 3*) signo crucis per Benedictum edito disruptum (*lib. II, c. 28*). Et iterum vas vitreum in ingens præcipitium saxorum molibus aspersum ejus jussione propter inobedientiam projectum, atque incolume reservatum*

(*ibid.*, c. 7). Et discipulum ejus Maurum super undas lacu deambulasse (*ibid.*, c. 6): ferrum autem de profundo lacu Elisæi more per ipsum in manubrium revocatum fuisse. Et sicut scriptum divinis paginis (*II Mac.* 1, 20) continetur, sacer ignis absconsus, post multorum annorum curricula in crassam aquam versus reperitur, et eadem aqua super oblatum sacrificium versa divina potentia est igne consumpta. Sed et Gedeonis sacrificium (*Jud.* vi, 20) cum superfuso jure cujus abundantia solet ignis exstingui, per angelicum ministerium, igne etiam lambente petram, consumptum est. Et in unius ejusdemque elementi mysterio, et finis est vitiis, et origo virtutibus, operante Spiritu sancto in aqua sacri baptismatis. Hæc diligens lector legat, et non mirabitur in judicio aquæ frigidæ innocentes ab aqua recipi, nocentes autem non recipi, sicut et in aqua calida coquuntur noxii, innoxii vero reservantur incocti: quia et Christus, celestis medicina Patris, verus humanæ medicus salutis, invocatus a suis fidelibus, ut et medici carnis ipso inspirante solent, contraria contrariis, calida frigidis, frigida calidis curat. Et in veteris synagogæ unius ejusdemque seditioe quosdam terra absorbit, quosdam vero edax flamma consumpsit. Dumque caro innoxia Salvatoris aquis frigentibus tingitur, opposita quondam noxiis romphæa ignea paradisi restingitur. Sed et dispositione ipsius elementorum conditoris atque rectoris, uno eodemque sole lutum stringitur, cæra liquatur. Hæc dicta sint, quia elementum instabile, in mergendo pro fide credentium quosdam recipit, quosdam autem non recipit. Sed et fervore elementi ejusdem quidam coquuntur, et quidam evadunt incocti.

Nec prætereundum quia legimus in Capitulis Augustorum fuisse vetitum frigidæ aquæ judicium: sed non in illis synodalibus, quæ de certis accepimus synodis. Quod et quidam insulse dicunt propterea fuisse vetitum, quoniam quasi rebaptizatur qui in nomine Domini aquis immergitur. Sed hoc ibidem scriptum nequaquam reperimus. Nec nos etiam ignoramus quia beatus Ambrosius plura dicit baptismata, id est plura baptismatis annotat præconia. Et sacri canones rebaptizationes omnibus, ut vitandæ sunt, prohibent. Nemo tamen est pene fidelium, qui se sine crucis signo, vel invocatione divini nominis, aquis etiam ad lavandum immittat, jubente Apostolo omnia agendum in nomine Domini, et non se illo baptizari putat baptismate, quo renatus est ex aqua et spiritu. Sermo enim, et opus Dei, cunctaque sacramenta divina, manna sunt, quod, sicut scriptum est (*Sap.* xvi, 20), habuit omne delectamentum, et omnis saporis suaviter, quodque sicut pro desiderio suscipientium quondam factum est in saporem gustantium, ita et hæc pro devotione credentium fiunt causa ostensionum. Velut incarnatio Domini in ruinam et resurrectionem multorum est, et crux ejus pereuntibus quidem stultitia est, credentibus vero in salutem virtus Dei est, et prædicatio ip-

sus aliis est odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam, et baptismatis sacramentum infidelibus ludificatio, fidelibus autem redemptio est. Sacramenta quoque altaris devote ad se accedentibus vita, indevolis judicium, sicut et panis vitam fortium roborat, parvulorum necat, et lenis sibilus equos mitigat, calulos instigat, et sol, qui ceram liquat, lutum stringit, sanis oculis lumen est, et lippientibus tenebræ. Utque venenum mors est homini, et vita serpenti, sic et istud judicium firmiter et rite creditibus ostensio veritatis, hæsitantibus autem et dubiis error involvens esse dignoscitur; quoniam sicut Paulus dicit: *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non appurentium* (*Hebr.* 11, 1), profecto, liquet, quia, exponente beato Gregorio, fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt, quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Sic in hoc divino judicio, his de quibus antea dubitabamus divina ostensione monstratis, quæ corporalibus oculis videre non possumus, oculis fidei contemplantes credulitatem accomodare debemus, sicut Thomas antea dubitans, dum Dominum palpavit, aliquid vidit et aliud credidit; a mortali quippe homine divinitas videri non potuit; hominem igitur vidit, Deum confessus est, dicens: *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* xx, 26). Videndo ergo credidit, querendo considerando verum hominem, hunc Deum, querendo videre non poterat, exclamavit. Ita et veritatem re de qua dubitamus, quia corporalibus oculis videre nequibamus, divinæ ostensioni credentes, veritatem, quæ Deus est, laudare debemus. Hæc autem dicimus, non quo quemquam reprehendamus, quia nobis ibi scriptum est (*Rom.* xiv, 5) cur hoc judicium non debeat fieri sed tantummodo dictum non fieret, a nostra, quasi sapientius prolata, quam alii invenire ex sanctorum documentis prævaluerint, sive prævaleant, defendere satagamus. Unusquisque enim in suo sensu abundat. Tantum quilibet hoc caute provideat, ut a fide catholica et traditione apostolicæ dis non discrepet, sed quæ sentimus humiliter proferentes, parati simus, si quis convenientius ostenderit, sine contentione sano intellectui cedere et libentissime non modo consentire, quin etiam discere.

His ita se habentibus, si hujusmodi judicium quod, ut audivimus, Carolus magni nominis imperator de suæ vitæ credulitate recepit, per consilium laicorum nobilium, consensu episcoporum, ac decreto regio (aliter enim non oportuerat) præfata mina de quibus reputabatur constat esse purgata, maritali thoro non solum consensu nobilium laicorum, verum, ut audivimus, cum reconciliatione benedictione episcoporum, restituta sive recuperata iterum causam in quæstionem reducamus, videre non possumus, dicente Domino: *Non tentate Dominum Deum tuum* (*Matth.* iv, 7). Et audivimus quod audivit ab illo ad eum, dicens: *Magister, respice in filium meum, ecce spiritus apprehendit illum*

*ipulos tuos ut ejicerent illum, et non potest dominus : O generatio infidelis et per-
 uero ero apud vos, et patiar vos ? (Luc. ix, 40) non
 a audivit, quia latenter isto dicto ac-
 cessibilitate apostolos, cum impossi-
 interdum non ad imbecillitatem curan-
 eorum qui curandi sunt fidem refera-
 s, licet non auribus corporis, sed me-
 atis audiemus, si talia sine causa et
 a removemus, quasi quiddam fraudis in-
 erit dubia Dei ostensio, et non infide-
 li autem hæc in judicio culpabilis appa-
 , quare fuit recepta ? Si inculpabilis,
 remota ? præsertim cum omnimodis
 n, quia si vicarius ejus, qui pro illa ad-
 rit, fuisset perustus, culpabilis judicata
 n denuo nolisset accusator ipsius de-
 mitteri. Unde nunc quoque tenendum est,
 baptismatis judicio, mendax et pater
 r fidem et ora gestantium atque pro-
 lium qui baptizantur, foras ejicitur,
 hac femina criminationis falsitas, fide
 re pro se mittentis vicarium, per ejus-
 sui executionem divino judicio sit ex-
 is innocentie veritas declarata. Nam si
 i hominum accipimus, testimonium Dei
 Joam. v, 9), qui ostensione virtutis suæ
 satur quid de hoc credere debeamus, de
 te ostensionem eramus.*

INTERROGATIO VII.

*quod pro secreta facta confessione ab
 ia, vicarius ejus de judicio incoctus eva-*

RESPONSIO.

*a pietate quidam, ut legimus, beatum
 ndere tentaverunt dicentem quia non
 ninem, quem cognoscebat Deum, cum
 erit, Me negabis (Matth. xxvi, 34) ; ita
 etiam iniquitate, quia impia falsitate,
 um piam prædicant, fictam calumniam
 voluit feminam istam liberare, ut judi-
 redentes deciperet, cum scriptum sit
 Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.
 is Petrus ad Simonem magum dixit, qui
 mere posse gratiam sancti Spiritus, per
 es operantur et signa, quique omne effu-
 Non est tibi pars, neque sors in sermone
 enim amaritudinis, et obligatione iniqui-
 te esse (Act. viii, 23). Et, ut beatus dicit
 nihil simplex veritas per duplicitatem
 ins corda et probans renes, et pertingens
 visionem animæ et corporis, compagum
 medullarum, et interiora cordis, et ut
 pe est invocantibus se in veritate, et
 itate judicium facere. Quis enim invoca-
 n, et deceptus est ? In judicio enim justo
 ocatus neminem decipere potuit : quo-
 s est Dominus in omnibus viis suis, et*

*A sanctus in omnibus operibus suis. Et catholici dicunt
 magistri de sacramenti purgatione, quia sicut ab
 illo cui perinde fit satis suscipitur, ita et a Domino
 judicatur. Et Paulus dicit : Corde creditur ad justiti-
 am, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. x, 10).
 Et non est confessio, nisi fuerit cum corde et oris
 fassio, ut mens nostra concordet voci nostræ. Unde
 et in baptismo non mundat carnis depositio sordium,
 sed interrogatio ac confessio conscientie bonæ in
 Deum. Nam Petrus, quem Christum Filium Dei vivi
 confessus fuerat, Dominum esse sciebat, Deumque
 credebat, cujus discipulum se ore negabat, qui dixit :
 Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor
 et ego eum coram patre meo ; et : Qui me negaverit,
 negabo eum (Matth. x, 22). Et sicut legimus, non est
 aliud negare se ipsius esse discipulum, sicut Petrus
 dixit Non sum, objicienti sibi quod ex discipulis
 hominis illius esset, nisi negare se esse Christianum.
 Quapropter § 14 et sacri canones, inter lapsos de
 illis decreverunt, qui corde Christum crediderunt,
 et tormentis victi ore negaverunt. Et item scriptum
 est : Quomodo invocabunt in quem non crediderunt ?
 (Rom. x, 14.) Quomodo, inquam, hæc femina in ju-
 dicio Dominum sibi adiutorem et liberatorem invo-
 cavit, in quem non credidit ? Et si in Dominum
 fideliter credidit quem invocavit, verum, non fictum,
 et justum atque justitiam diligentem illum credidit,
 quem falli vel fallere non posse cognovit. Isti autem
 contraria dicentes, quid aliud dicunt, nisi falli vel
 fallere posse veritatem affirmant ? obstinatioribus dæ-
 monibus, qui, ut Evangelium dicit, exiebant ab
 obsessis, confitentes eum, quia sciebant illum esse
 Christum (Luc. iv, 41).*

*C Quod autem dictum est, quia ex hoc testis est
 etiam ipse qui confessionem feminæ illius suscepit,
 miramur si verum esse aliquo modo possit : et hoc
 credere non auderemus, si talibus viris, qui hæc
 nobis mandaverunt non credere auderemus ; cum non
 perverse interpretari debere noverit quod in libro
 Levitico, relegit : Anima que audit vocem juramenti
 et testis est, vel quæ vidit aliquid et conscia est, et
 non indicat (Levit. v, 1). Ex quo accepit etiam ipsa
 peccatum ejus sine dubio, ut Origenes exponit, qui
 inique, aut egit aliquid, aut juravit. Hoc etiam
 secundum historiam nos ædificat, ne unquam in
 peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec
 consensum male agentibus præbeamus. Consensum
 autem dico, non solum pariter agendo, sed etiam quæ
 manifeste et illicite gesta sunt reticendo. Et si
 scivit, et propter secretam confessionem reticuit,
 quare, quod absit, sicut dicitur, ut judicium inde
 fieret obtinuit, vel consensit, non reverens senten-
 tiam legis pariter et Evangelii : Non tentabis Domi-
 num Deum tuum ? (Matth. iv, 7.) Quia si contra au-
 ctoritatem canonicam, quæ ex legis et prophetarum
 atque Evangelii fonte, sancto Spiritu quo et illa sunt
 dicta promulgante, procedit, detrimentum honoris
 est agere, periculum non potest evadere, qui studet
 ipsi evangelicæ veritati in tam maximis repugnare,*

Et item scriptum est : *Reddes autem Domino juramenta tua* (Matth. v, 33). Si fidelitatem seniori suo promisit, quomodo huic illusioni contra illum consentire præsumpsit? Et si tunc inter duo pericula positus, minus de juramento negligere elegit, ut majus ne proditor confessionis fieret devitaret, quare ipsam confessionem nunc prodidit? cum scriptum sit : *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est, animi celat commissum* (Prov. xi, 13), ac si patenter dicat : *Qui animi non celat commissum infidelis est.* Et Paulus dicit fidelibus : *Quæ pars fidei cum infidele?* (II Cor. vi, 13.) Plura hinc dici poterant, sed nobis non convenit. Onus enim suum unusquisque portabit. Hæc autem breviter diximus, non ut credere vel credi ab aliquo hujusmodi derogationi de quocunque sacerdote velimus, sed ut nos quatenus hinc responderemus per nomen Domini obtestantibus designemus, hoc nefas prodicionis atque duplicitatis, et magnopere nobis esse vitandum, et 615 in omnibus profecto hominibus detestandum.

INTERROGATIO VIII.

Huic autem dicto quod aiunt quidam, quoniam intentio illius feminae fuit de alio ejusdem nominis fratre suo, quando vicarium suum in iudicium pro se misit, et idcirco se in iudicio isdem vicarius ejus non coxit.

RESPONSIO.

Quasi iudex omnium quæ geruntur, qui novit omnia etiam antequam fiant, tali errore seduci potuerit, componere possumus quod Petrus in quarto libro Dialogorum a beato requisivit Gregorio : « Quidnam est, inquit, quæso te, quod nonnulli quasi per errorem extrahuntur e corpore? Cui beatus Gregorius referens de duobus Stephanis, quia non isdem Stephanus, qui adductus iudici ad loca inferni fuerat, jussus adduci exstiterat, sed Stephanus alter ferrarius : et illo reducto, Stephanus ferrarius, qui adduci fuerat jussus, adductus est. « Hoc, inquit beatus Gregorius (cap. 36), quotiescunque fit, si bene perpenditur, non error sed admonitio est. Superba enim pietas ex magna misericordiæ suæ largitate, disponit, ut nonnulli etiam post exitum repente ad corpus redeant et tormenta inferi, quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant. » Et post narrationem de Stephano, qui adductus et reductus et postea iterum ad tormenta perductus fuerat, subdidit (ib., in fine) : « Qua de re colligitur, quia ipsi quoque inferni supplicia cum demonstrantur, aliis hæc ad adiutorium, aliis vero ad testimonium fiant, ut isti videant mala quæ caveant, illi vero eo amplius puniantur, quo inferni supplicia nec visa et cognita vitare voluerunt. » Sic et Deus ex scriptura veritatis nobis demonstrat, quod ad correctionis cautelam nobis proficiat, aut ex retributione justitiæ ad gravius delinquendum in cumulum damnationis excrescat. Scriptum est enim in libro Regum, dicente Michæa propheta : *Vidi Dominum*

ascendentem super solium suum, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris. Et ait Dominus : Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujusmodi, et alius aliter. Egressus est autem spiritus coram Domino, et ait : Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, In quo? Et ille ait : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies, et prævalebis egredere, et fac ita (III Reg. xxi, 19). Quid si astare malignum spiritum Domino, et quid sit quod interrogasse malignum spiritum Dominus dicitur et qualiter loquatur Deus ad malignum spiritum, et malignus spiritus ad Deum, beatus exponit Gregorius (Moral. xi, cap. 4) in Moralium libris devotionum lectorum notissimis. Sequitur in historia libri Regum : *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt. Et Dominus locutus est contra te malum.* Et post aliquanta : *Unus autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel, id est Achab, inter pulmonem et stomachum. Et paulo post, et mortuus est vespere, et completus est in eo sermo Domini per manum Michæa prophetae, de quo antea locutus est idem Achab ad Josaphat regem Juda quærentem prophetam Dominum. Remansit, inquit Achab, vir unus per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Videlicet quoniam vera illi dicebat, et ideo odiebat eum, diligens mendaces ministros, et sibi impios; unde scriptum est (Prov. xxix, 12) : *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habebit impios.* Qua de re timendum est regi, et cunctis mendacio credere volentibus, quasi Deus aut falli potuerit, aut fallere quemquam in se recte credentem in iudicio veritas, aut indebita misericordia in crimine consistenti, atque crimen ipsum neganti, et se tentanti debet misereri, qui etiam pauperi in iudicio vel sub obtentu pietatis misereri prohibuit, ne propter alia perpetrata peccata, de quibus non satisfecerunt Domino, ex retributione justitiæ, a mendace spiritu seducantur, ut intereant, et in alium laqueum decepti cadant, sicut de quibusdam Paulus dicit : *Quoniam cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipientium eorum; propterea tradidit illos Deus in desideria cordis illorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua, mercedem erroris sui in semetipsis recipientes: et quoniam non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt; et ad Thessalonicenses (II Thess. ii, 10) : *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt ad hoc ut salvati fierent, idcirco immittet illis Deus spiritum erroris, ut credant mendaciam, quatenus judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Unde sanctus Augustinus in tertio libro de Trinitate (cap. 7), lo-**

stigiis a magis Pharaonis Moysi resistis dicit, « Intelligi, inquit, datur, ne transgressores angelos, aërias potestates istam caliginem, tanquam in suam rem, ab illius sublimis aetheriæ puritate detrusas, per quas magicæ artes quid possunt, valere aliquid nisi data datur. Datur autem, vel ad fallendos in Ægyptios, et in ipsos etiam magos eorum spirituum seductione viderentur, a quibus fiebant Dei veritate damnum admonendos fideles ne tale aliquid igno desiderent, propter quod etiam ræ auctoritate sunt prodita: vel ad probandam, manifestandamque justitiam. Neque enim parva visibilium mirabilia Job cuncta quæ habebat amisit, sanam corporis sanitatem. » Quidquid transgressores mali faciunt, non ipsis servit natura corporalis, sed Deo, 617 a quo datur. Nec ideo putandum est istis transgressis ad nutum servire hanc visibilium rem, sed Deo potius a quo hæc potestas in sublimi et spiritali sede incommutat. Nam et damnatis inique etiam in terra aqua, et ignis, et terra, ut faciant datur volunt, sed quantum finitur, »

PROGATIO IX ET RESPONSIO.

namus ut fraus in iudicio fuerit operata, qui licet perderit angelici spiritus non amisit naturæ subtilitatem, et pernitino, aut pro infidelitate non recte ut pro purgatione fidelium, fuit Judam a voluntate Christo communicantem et Paulum post tertii cœli raptum condidit maxima exercenda occulto, sed datur, permittitur divino iudicio, sicut Pharaonis multa acta sunt, quæ Moyses ini fecerat. Et ad probationem Job aëria, ignis de cœlo aërio oves puerosque Antichristus per se suosque ministros urus est, ita ut in errorem inducantur potest electi, Et per Pythonissam spectata ostensa est. Et in libro Dialogorum, datur Gregorio, legimus (*lib. xi, c. 10*): « In templo idolo, et ad horam casu in coquina, exire repente visus est, atque in monachorum oculis, quia omne ejusdem iudicium consumeretur ostendit: cunque flamam et ignem quasi extinguendo perculsatus ab eodem tumultu vir Domini advenit, qui eundem in oculis fraus suis vero non esse considerans, caput rationem inflexit, et eos, quos phantasma igne deludi, revocavit fratres ad oculum sanum illud coquinæ ædificium asserent, et flammam, quas antiquus hostis viderent. » Et in Petri itinerario de Clever legitur, quod ut a fidelibus interficeretur,

tur, a Simone Mago, quem deseruerat, unguento perunctus, ejusdem Simonis imaginem omnium oculis referebat, solus Petrus cum qui erat intuebatur, et orans discipulos ad eorum oculos revocavit, et deluso plantasmate intuentium obtutibus speciem propriam reddidit. Sed et in Vita Joannis monachi quondam parentes filiam suam operante dæmone equam esse cernebant. In Evangelio quoque legimus de duobus discipulis cum Christo pergentibus ac dubitantibus, quia oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent (*Luc. xxiv, 16*). Quod impedimentum in oculis eorum non incongruenter accipimus a Satana fuisse, ne agnosceretur Jesus: sed tamen a Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. Sic et non mirum, si in iudicio, 618 exigente incredulitate hæsitantium atque in fide dubitantium, talia permittat Dominus fieri, qui talem se exhibuit in oculis dubitantium foris, qualis habebatur apud eos intus quod factum est in eorum oculis, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, et aliud quam res est opinantibus. Sicut et beatus Gregorius de Maria dicit (*hom. 25 in Evang.*): « Quæ Dominum quærebat, quem resurrexisse minime credebat; sed quia amabat et dubitabat, videbat et non agnoscebat, cumque illi et amor ostenderat, et dubietas abscondebatur. » Et præfatis duobus discipulis ambulantes in via, non quidem credentibus, Dominus apparuit, sed eis speciem quam agnoscerent non ostendit. Hoc ergo egit foras Dominus in oculis corporis, quod apud eos agebatur intus in oculis cordis. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud eos erat in mente. Et sanctus Augustinus in libro de Doctrina Christiana (*lib. xi, c. 10*): « Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus ad consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, aruspicum et augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibuscumque rebus suspendendis atque illigandis (*ibid., c. 24*). Quæ omnia tantum valent, quantum præsumptione animorum: quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt; quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis cruciantissollicitudinem mortiferæ servitutis, Non enim quia valebant animadversa sunt, sed animadvertendo atque signando factum est ut valerent. Et ideo diversis diversa proveniunt, secundum cogitationes et præsumptiones suas. Illi enim Spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones et consensiones ejus viderint. » Et venerabilis presbyter Beda in Commento libri Samuelis dicit (*lib. iv, c. 8*): « Si quem vero movet, quomodo mulier arte dæmoniaca prophetam

post mortem inquietare et suscitare potuerit, sciat pro certo, aut falsam tunc umbram querentibus ostendisse diabolum, aut si vere Samuel exstitit tantum in his agendis licere diabolo, quantum Dominus permiserit. Nec mirum pro quibusdam secretioribus causis talia maligno spiritui permitti, et Job et Salvatorem constituerit in pinnam templi, et Job petierit acceperitque tantandum. Quod si plantasiam potius immundi spiritus fuisse quod apparuit credimus, neque hoc turbare debet quomodo talis vera et prophetica narrare potuerit. Novimus enim diabolum multa sæpe futura, quæ ab angelis sanctis didicerit, præscire vel prædicare posse: sed eo minus illius dictis auscultandum, quo cuncta, quæ loquitur agitve apud homines, seducendi studio facit. » Quod ne eveniat per insidias demonum, **619** monente Apostolo resistamus diabolo, fortes in fide, *quæ vincit mundum, et per quam sancti vicerunt regna* (Hebr. xi, 33), et de qua firmiter credentibus dicitur: *Fiat tibi secundum fidem tuam* (Matth. ix, 29). Et Apostolus: *Postulet autem in fide nihil hæresitans* (Jac. i, 6). Et si ad probationem fidei nostræ acciderit (utile est enim, etiam sanctis, tentationum flammis examinari, ut vel tentati quia fortes fuerint appareant, vel cognita per tentationem sua infirmitate fortiores fieri discant, et sic cum probati fuerint, accipiant et ipsi coronam vitæ), de divinis non causemur judiciis, quæ interdum occulta sunt, sed nunquam injusta. Nec mirum videri debet si in hujusmodi judicio calliditate diabolica fraus quæcunque Deo permittente intervenit, cum et aqua baptismatis in se fidelis, ut Ambrosius dicit, est in aliquibus et aqua mendax. Non sanat baptismus perfidorum, non mundat sed polluit: unde et secundum decreta canonum, et sancti Innocentii, atque aliorum pontificum Romanorum, in nomine sanctæ Trinitatis ab hæreticis baptizati per manus impositionem gratiam Spiritus sancti accipiunt: non autem in sanctæ Trinitatis nomine baptizati baptizari jubentur. Sed nunquid, quoniam fraus reperitur in baptismo hæreticorum, baptismum non probabitur catholicorum? et si fraus invenitur in judicio propter fidem incredulorum, lex purgationis abjicietur a consuetudine credulorum? Sicut enim privata vel fraus publica semper est punienda, ita ut scriptum legimus, consuetudo quæ publicis utilitatibus non impedit, pro lege est retinenda. Quapropter, si et in hoc judicio per quodecunque ingenium fraudulentia reperitur, duplicata judicii ultione, sive pro peccati admissione, sive pro infideli illusione, causa in questionem ratione docente reveniat.

« Sed et de sacramenti purgatione in sancti Gregorii epistola ad Secundinum episcopum Tauromitanum legimus (*lib. viii, epist. 32*), quod Leonis Chartularii femina, quæ relicto eo pro fornicationis crimine religiosam vestem induerat, ab ipso sibi præstito sacramento quoniam post initum conjugium in adulterii culpam lapsus non fuerit, inconsulto episcopo ad virum suum redierat, et idcirco

A cum familia sua fuerat excommunicata. Unde idem sanctus papa decrevit, ut mox ejus absolveretur familia. Et si manifesto constaret quia conjugii suo eadem femina dicere nihil potuerit, sed insuper suscipio ipsius per sacramentum fuerit amputata, atque post hoc sua ad eum sponte reversa, ut et in ea censura temperaretur judicii, nec longo jam tempore privaretur communione. » Et item ad Candidum abbatem (*lib. vii, epist. 17*): « Denique ut ad satisfactionem posset omnino sufficere, fecimus ut etiam dato corporaliter sacramento firmaret nihil se in fraude versatum, aut aliquid occultasse, sed omnia integre prodidisse. Cui rei si quis, quod non credimus, contrariam afferre quoquomodo tentaverit voluntatem, **620** ille quidem reum se ante Deum esse noverit, qui nititur ea, quæ utiliter sunt finita, rescindere: non eidem decisioni, transactionique nihil se derogare cognoscat. » Et ad præjectam (*lib. vii, ind. 11, epist. 60*): « Valde, inquit, ecclesiasticæ est moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari. » De qua sacramenti purgatione sæpe audivimus, quia plures in eo fraudem facere solent, cum ingenio jurantes, sed potius pejerantes: quia, sicut legimus, ita sacramentum a Deo dijudicatur, sicut ab eo, cui per id satisfieri solet, in fide recipitur. Sed et in eadem sacramenti purgatione fraus facta, quin potius perjurium factum delectitur, sicut et in judicio diabolica astutia e permissione divina, evenire posse a nobis non denegatur. Et de juramento doloso in Regum libris, et Machabæorum, atque in Propheta de sacramenti regi facto infideli, quæ non impune cesserunt, invenimus, unde supra nos sufficienter dixisse putamus. »

INTERROGATIO X.

Quarto capitulo nobis petimus romandari, si hæc causa, unde judicium factum audivimus, et quida etiam vidimus, in judicium fuerit revocata quæ idem debeat canonicè ordinari judicium, ut utrum de secreta confessione, ut dicitur, commissa episcopis, vel in judicio porrecto libello, eadem femina debeat judicari: vel si acciderit ut eundem libellum coacta porrigat, aut eidem invita subscribat, si per hujusmodi commentata maritali toro legitime aliter valeat removeri.

RESPONSIO.

Quod et si in hæc, ut supra diximus de quo loquimur judicio evidentibus indiciis fuerit demonstratum, sicut sanctus Fabianus papa et martyr constituit, ordinetur judicium. « Quoniam, inquit (*epist. 11*), in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, et accusatores, ac defensores, et testes. » Quia sicut Leo scribit ad universos episcopos per Cæsaream et Mauritaniam constitutos (*epist. 91*): « Neminem possumus judicare, nisi in præsentia positus, aut confutatus, aut certe confessus, justæ possit subjacere sententiæ. »

Et sanctus Augustinus in libro de Pœnitentia (*hom. l.*): « Plerumque autem boni Christiani propterea tacent, et sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, et ea quæ ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis iudiciis demonstrantur. Nos vero a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari, sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi **621** utrumque audet assumere, ut cuiquam ipse sit et accusator et iudex? Cujusmodi regulam etiam hic Paulus breviter insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus, ecclesiastici iudicii formam ad hæc similia ex quibusdam daret. Ait enim: *Scripti vobis in epistola, non commisceri fornicariis (I Cor. v, 9), et reliqua.* » Et item: « Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec quidem cibum sumere. » Sed sciendum est, quia eam nominationem hic Apostolus intelligi voluit, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario atque integritate proferatur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam crimine nominantur. Noluit enim in homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinarii usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Et in concilio Toletano (*conc. Tol. vi, can. 11*): « Dignum est ut vita innocentis non maculetur perniciæ accusantium. Ideo quisquis a quolibet criminatur, tam accusatus quam accusator presententur, atque legum et canonum sententiæ exquirantur, ut si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem quisquam non iudicetur, nec condemnentur. » Et in Carthaginensi concilio (*conc. Afr. cap. 95*): « Quærendum est in iudicio cujus conversationis et fidei sit is qui accusat, et is qui accusatur. » Item in eodem (*cap. 98*): « Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit. » Et sanctus Cornelius papa et martyr, beatusque Felix Romanus pontifex, et omnes illius sedis pontifices decreverunt, **D** ut caveant iudices Ecclesiæ, ne absente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, et etiam rationem pro actione in præsentia fratrum dabunt, exceptis designatis causis quas singillatim leges Ecclesiæ exprimunt, sicut et leges publicæ modum certum denominant, quo absentes iudicio debeant condemnari, id est, ut si tam famosissimum crimen sit, et in crimine famosissima persona, ut neque testes ad convincendum necessarii habeantur, nec ipsius indigeatur præsentia, sicut Ambrosius in Epistola ad Corinthios dicit: « Iudicis, **I**nquiens, non est sine accusatore damnare, quia et

A Dominus Judam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abiecit. *Ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit (I Cor. v, 2).* Cognito opere isto, pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis: omnes enim crimen ejus sciebant, et non arguebant; publice enim noveream suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. *Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, id est, absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nusquam abest, jam iudicavi ut præsens eum qui hoc admisit (ibid., 3).* »

622 Et quoniam alterius est loci et temporis demonstrare, quibus et quantis aliis modis secundum leges ecclesiasticas absentes possint et debeant iudicari, quod nunc ad rem pertinet, quodque Valentina synodus sequens Romanam Ecclesiam demonstravit, in medium devoce mus, videlicet (*can. 4*): « Ut si quis se reum, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis pronuntiaverit, neque enim, *inquit*, absolvi potest, qui in seipso dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa major homicida sit. » Quod in Ecclesia, nec de secreta confessione, nec per alium potest fieri: quanto minus per sacerdotes, quibus non licet sibi confessa publicare peccata, nisi per illum ipsum qui peccatum commisit, id quod male egerat fuerit propalatum? De quo etiam providere quantum potuerit debet episcopus, ad cujus hoc curam noscitur pertinere, ut non errore seductus, aut timore coactus, quisquam mendaciter in se dicat, unde vel se, vel Ecclesiam lædat, quia inde etiam est decretum, ut extorta confessio, vel coacta subscriptio, nihil vigoris obtineat, B. Alexandro martyre glorioso, et post B. Petrum quarto apostolicæ sedis pontifice iudicante (*epist. ad omn. orthodox.*): « Si ab hujusmodi, *inquit*, personis, quod omni est Christiano nomini inimicum, quædam Scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus, neque ullam eis infamiam vel calumniam, aut a suis sequestrationem bonis, unquam, auctore Domino, et sanctis apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittimus. Confessio vero in talibus non compulsata, sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait: *Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemix (Matth. xv, 19), et cætera quæ sunt ad hæc pertinentia.* » Et item: « Amplius autem respicit Deus ad cogitationes, et spontaneas voluntates, quam ad actus, qui per simplicitatem, aut per necessitatem fiunt. Confessio vero non extorpueri debet in talibus, sed potius sponte profiteri. Pessimum est enim de suspitione aut extorta confessione quemquam iudicare, cum magis inspector cordis sit Dominus quam operis, et potius requirit cogitationes puras, et voluntates bonas, quam verba mendacia. » Talis enim in Ecclesia fieri debet ab illo qui pecca-

vit confessio, sicut scriptum est: Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris. Prior, inquam, ut et vocem accusatoris diaboli, et faciem Domini in confessione praevenias, ut justificeris, non ut condemneris: quia ipsa etiam ecclesiastica excommunicatio, non aeternaliter poenalis, sed temporalis est atque medicinalis, tantum ut convertatur peccator ad illum, et vivat, qui non vult mortem peccatoris, sed vitam (*Ezech. xviii, 23*). Et iterum scriptum est: *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (*Isa. xliii, 26*). Unde Hieronymus: « Ex malis verbis dubium non est quod damnetur a Deo homo qui ea protulit: justificari autem ex bonis verbis nullo modo potest, nisi de intimo cordis ea recta intentione proferat. Bona etiamsi sint, et non recto studio fuerint prolata, justificare loquentem non poterunt, sicut nec Caiphas **621** interpretando justus inventus est, qui dixit: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan. xi, 50*). Illa ergo verba justificant loquentem, qui bona quae ore profert medullitus corde retinet, et sancta intentione profert. In verborum enim pondere operatio consistit vitae humanae: quia, ut Salomon ait: *Mors et vita in manibus linguae* (*Prov. xviii, 21*). » Et capitulis Augustorum decernitur: « Ut qui timore compulsus servum se esse extra judicium dixerit, nullum praedictum libertatis incurrat, donec iudicio praesentetur, ut libertatem suam, si eam probaverit, praesente iudice obtineat, aut si servus convincitur, statim Domino reformetur.

Debent nimirum episcopi, videlicet iudices animarum, magnopere providere, et saeculi hominibus intimare, ne in accusandi, vel testificandi, aut iudicandi negotio, quasi sub praetextu futurae confessionis ac poenitentiae, suggestio diabolica latenter eis subripiat, dicens non verbo, sed hortamento, cuicumque post concupiscentiam cordis sui ire desideranti: Intende, inquit diabolus, ut compleas quod desideras, ne de eo vincaris quod carperas: melius tibi est postea poenitentiam agere, quam victum dehonoriari. Testificantibus autem suggerit: Ingenium potestis capere, ut ita pareat quod dicitis verum esse. Iudicibus vero diabolus saepe suadet, ut dicant: Quomodo possum aliter? sicut audio iudico. Unde audiant, et exaudiant quae scripta sunt: *Vae vobis qui justificatis vos coram hominibus, Dominus autem novit corda vestra* (*Luc. xvi, 15*). Et: *Si oculus tuus, id est intentio tua, simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth. vi, 22*). Et: *In quo iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis* (*Matth. vii, 2*). Et: *Falsus testis non erit impunitus* (*Prov. xix, 6*). Et legant quod dicit sanctus Hieronymus in commentario Matthaei: « Falsus, inquam, testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit quod dicuntur. » Quanto magis qui illa dicit quae dicta non sunt? Et tali cogitationi, quam diabolus, sive prave intendentibus, sive testificantibus, sive iudicantibus, de obtentu poenitentiae proponit, quod idem sanctus Hieronymus in eodem libro eicit, opponant.

A Ait enim de Juda: « Tunc videns Judas, qui cum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum (*Matth. xxvii, 3, 4*). Avaritiae magnitudinem [al., magnitudine] impietatis pondus exclusit. Videns Judas Dominum adjudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum mutare sententiam. Itaque, licet mutaverit voluntatem suam, tamen voluntatis primae exitum non mutavit. Si autem peccavit ille qui tradidit sanguinem justum, quanto magis peccaverunt qui emerant sanguinem justum, et offerendo pretium ad prodicionem discipulum provocarunt? At illi dixerunt: *Quid ad nos? Tu videtis. Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit* (*ibid., v. 5*). Nihil profuit egisse poenitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando sic frater peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest et dimitti: sin autem permanent opera, frustra voce assumitur poenitentia. Hoc est quod in Psalmo de eodem infelicissimo Juda dicitur: *Et oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal. cviii, 7*), ut non **622** solum emendare nequiverit prodicionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprii homicidii crimen adiderit. » Timeamus omnes hanc veram sententiam, caveamus hanc perniciosissimam erga deceptionem nostram diabolicam malignitatis astutiam, qua fraudulenter diabolus etiam sub poenitentiae spe nos deludit, et ex consilio nos in culpa ligat, quod cum ab statu iustitiae peccando concidimus, plerumque simul et in laqueum desperationis cadimus, et a radice spei funditus evellimur. Hinc est quod per prophetam Dominus, non tam praecipitationum prava quam delictorum studia reprehendit dicens: *Ne forte cyrediat ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat propter malitiam stuliorum vestrorum* (*Jer. iv, 4*). Hinc iterum iratus dicit: *Visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum* (*Jer. xxi, 14*). « Quoniam igitur a peccatis aliis, ut dicit beatus Gregorius (*Pastor. lib. i, cap. 33*), differunt peccata quae per consilium perpetrantur; non tam Dominus prava facta quam studia pravitate insequitur. In factis enim saepe infirmitate, saepe negligentia, in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Et ipse in cathedra poenitentiae sedet, qui tanta iniquitatis elatione extollitur, ut implere malum etiam per consilium conetur. Hinc ergo colligant qui in culpa se etiam per consilium ligant, qua quandoque ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii sed principes fiunt. » Cavenda est etiam callidi hostis versutia, qui mentem quam peccato supplantat, cum de ruina sua afflictam respicit, securitatis pestiferam blanditiis seducit, et ei spes ac securitates vacuas ante oculos vocat, quatenus utilitatem tristitiae subtrahat. Modo enim aliorum facta graviora, modo ei verecundiam de promissione sua, quam prave adimplere proposuerat, opponit: modo nihil esse quod perpetrat

est, modo misericordem Deum loquitur, modo utilitatem, vel quodcunque emolumentum aut gratiæ vel honoris corruptæ menti objicit : modo malum aliud, quod de malo minori excludi potest ostendit, modo ad duc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur, ut dum per hæc decepta mens ducitur, a malo cœpto non revocetur, et ab intentione pœnitentiæ suspendatur : quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, et tunc plenius obruantur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. Sæpe etiam speciali malo duplicium corda ingenio artis antiquæ pervertit, ut dum perversa et duplici actione cæteros fallunt, quasi præstantius cæteris prudentes se esse gloriantur. Et quia distractionem retributionis non considerant, de damnis suis miseris exsultant, de quibus propheta dicit : *Ecce dies Domini venit magnus et horribilis super omnes civitates munitas, et super omnes angulos excelsos* (Soph. 1, 16), quia ira extremi iudicii humana corda, et defensionibus contra veritatem clausa destruit, et duplicitatibus involuta dissolvit. Attendant et accusatores forte innocentium, et testes dolosi, et iudices, quod eis dicitur : *Væ his qui condunt leges iniquas, scribentes injustitias* (Isa. x, 1). Et quod per Susannam dicit violenta passio illata **623** ab injustitia : habet enim vocem suam, sicut et misericordia, de qua scriptum est, *Absconde elemosynam, id est misericordiam, in sinu pauperis, et ipsa orabit pro te* (Eccli. xxix, 15). Ait enim violenta passio, illata, sicut diximus ab injustitia, *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu nosti quoniam falsum testimonium tulerunt adversum me, et ecce morior, cum nihil horum fecerim quæ isti malitiose composuerunt adversum me* (Dan. xiii, 42, 43). Exaudivit autem Dominus vocem ejus, et reddidit presbyteris, qui erant constituti iudices populi in anno illo, et falsum tulerunt testimonium, juxta quod malum egerant erga proximum, qui interfecti sunt. Et attendentes, quia multi præsentialiter etiam corpore moriuntur, ut Ananias et Saphira, et qui communicantes, ut Paulus dicit, non discernunt corpus Domini (I Cor. xi) : multi autem in corpore vivunt, sed pro actu malo sunt anima mortui, sicut illa de qua scriptum est : *Vivens mortua est* (I Tim. v, 6) : semper autem anima quæ peccat moritur, et perseveranter peccantes duplici contritione conterentur, quando ponentur sicut **D** *clibanus ignis, et induentur sicut diploide confusione sua, cum perdentur corpore et anima in gehenna. Hæc dicimus non tollentes justa, non prohibentes ne judicemus scientes injusta, non prohibentes testificari vera, sed refugientes mendacia.*

Sed et quia superius, et ex aliorum institutione doctorum, sufficienter ordinem diffinitionis de causa unde agitur ex decretis beati Gregorii demonstravimus, adhuc non piget ostendere quem modum in inquisitione et diffinitione hujusmodi quæstionis debeamus tenere. Ait enim, si de causa post initum conjugium agitur, ad Adrianum notarium (lib. ix,

A *epist. 44)* : « Agathosa, inquires, latrice præsentium questa est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem abbatis culpam et invidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, et illum in monasterio permanere provideat, et hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet uxorem relinquere, prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, vel si jam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante. Nam excepta fornicationis causa, virum uxorem relinquere divina lex nulla ratione concedit : quia postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo remanere. » Et quia una lex viri et uxoris hinc constare dignoscitur, demonstrat in epistola, quam supra posuimus, ad Secundinum episcopum Taurominitanum (lib. viii, *epist. 32*) : « Præsentium, inquires, portitor Leo Chartularius ad nos veniens indicavit, uxorem suam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius stimulatam aiebat, atque ob hoc religiosam vestem induerat, culpabilem nullatenus **624** exstitisse, neque post initum conjugium in fornicationis culpam collapsum : adjiciens quoque quod eidem uxori suæ districtissima sacramenta præbuerit, insontem se ea de re, unde illam mordebat suspicio, permansisse, et idcirco propria eam sponte ad se reversam. Sed quia communionem illam cum familia sua pro hoc solo a fraternitate vestra privatam asserit, quod ad eum clam positum vobis redierit, volumus ut familia quidem ipsius sacramentum communionem recipiat, et dominæ eam culpa in hujus afflictionis pœna diu non teneat. De ipsa vero, id est de uxore prædicti portitoris, hoc vos observare necesse est, ut si manifeste constat, quia contra conjugem suum dicere nihil potuit, sed insuper suspicio ipsius, præstito ut edocti sumus sacramento, amputata est, atque post hoc sua ad eum sponte reversa est, et in ea quoque ita temperanda est censura iudicii, ut longo jam tempore **é**ommunionem minime privetur. »

INTERROGATIO XI.

Et quia maritus a conjuge, vel uxor a marito, per scripturam secretæ confessionis se non possint disjungere, sicut episcopus ab ecclesia sibi commissa. vel gradu, aut quilibet in ordine ecclesiastico, ab officio se non prævalet si voluerit remove, sicut auctoritate ecclesiastica supra studuimus demonstrare.

RESPONSIO.

Neque libello secretæ confessionis porrecto publicæ pœnitentiæ quisquam debet submitti, nec per

scripturam directam, vel ab alio porrectam, valet A condemnari, sed unde publice debet judicari, publice et in presenti positus debet aut convinci, aut confiteri. Ad Nicetam Aquileiensem episcopum scripsit magnus Leo papa dicens: « In presenti positus, aut confutatus, aut certe confessus, justæ potest subjacere sententiæ: quia contrarium est rationi, eorum illos cernere pœnas, quorum non valent nescire causas.» Quem etiam ordinem judicandi demonstrat Scriptura divina, dicentibus de criminata accusatoribus in iudicio præparato: *Mitte, inquit, ad Susannam filiam Helchiæ uxorem Joachim, et miserunt. Et venit cum parentibus et filiis (Dan. xiii, 29, 30).* Et post datum testimonium, *condemnauerunt iudices eum ad mortem (ibid., 41):* qua liberata, veritate eam liberante, puniti sunt falsi testes juxta quod malum in proximum egerant Sed et deprehensa in adulterio, oblata corporali præsentia, non per alienum testimonium vel scripturam, quod ecclesiasticæ et Romanæ prohibent leges, est accusata: cujus etiam confessio subinnuitur, cum ei a Domino dicitur: *Nemo te condemnavit? et illa: Nemo, Domine (Joan. viii, 10).* Pilatus quoque de Domino, tanquam latrone comprehenso atque ligato, per cohortem, sicut Augustinus dicit, legitimo ordine potestatis servato, et per ministros Judæorum, et ab Anna Caiphæ, atque a Caiapha in prætorium sibi transmissio dicit: *Obtulisti mihi hunc hominem (Luc. xxiii, 14).* Quemque audiens esse de potestate Herodis, remisit eum ad **625** illum, docens nos de sæcularibus sæcularium Christiana et justa exspectare judicia, et tunc Ecclesiastica videlicet medicinalium judiciorum malagmata debere infirmis imponere, hoc idem Apostolo demonstrante, quando adhuc inter infideles conversabantur fideles. *Jam delictum est, inquit, inter vos, quia judicamini apud extraneos, et non apud fratres. Sæcularia igitur judicia si habueritis inter vos, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constitite ad judicandum (I Cor. vi, 1 et 4).* Unde Gregorius in Regula pastorali: « Ut saltem terrenis negotiis inserviant, quos dona spiritalia non exornant.» Et Augustinus in Enchiridio: « Cum sint talia judicia fieri necessaria, non vetari, sed apud fideles debere judicari demonstrat.» Et Ambrosius: « Quia ergo sunt, inquit, sapientes fratres, aliqui horum eligantur ad judicandum, quorum iudicium veretur mundus. Magnus enim pudor est, si inter eos qui dicuntur Deum cognovisse, non invenitur qui examinare possit iudicium. Quomodo enim homicida pœnitens pacem sumet Ecclesiæ, antequam cum litigantibus pacificetur? Quomodo indulgentiam accipere poterit discors, antequam charitatis glutino uniatur? Quomodo rapax dignos pœnitentiæ fructus aget, antequam juxta David iudicium, et Zachæi exemplum, aut emendando, aut satisfaciendo, placationis hostiam offerat qui rapinis erudeliter insudavit? Vel quomodo solvetur conjugium, nisi decernentibus Christianis legibus, quibus fuerat auctore Domino copula-

lum, vel quia non initum, sed magis usurpatum contra Christianas leges fuerat, exstiterit demonstratum? » Et hoc quomodo ordinabiliter fieri poterit, nisi legibus humanis ab eo inspiratis, per quem conditores legum justa decernunt? Unde sanctus Gelasius ad Anastasium imperatorem (*epist. 10*): « Si, inquit, quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ, quod rogo te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? » Ut alibi scriptum est relegentes: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (Matth. xxii, 21),* Cæsari quidem nummum, tributum, et pecuniam, honorem debitum, quandiu ipse Dominum fideliter, honoraverit, et vectigal, Deo autem decimas, primitias, oblationes, ac victimas, atque continuam servitutem: quomodo et ipse reddidit tributa pro se et Petro, et Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem. Et sanctus Augustinus in Sermone sexto Evangelii Joannis: « Noli, inquit, dicere quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? per jura regum possidentur possessiones.» Sic et per legalia judicia, justa quoniam Christiana, sæcularium negotiorum dirimendæ sunt quæstiones. Et de libello, vel secreta confessione, idem decernit Leo, inquiens (*epist. 86*), universis episcopis per Campaniam, Samnium, et Picenum, salutem: « Magna indignatione commoveor, et multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi apostolicæ traditionis oblitos, et studio sui erroris intentos.» Et post aliquanta: « De pœnitentia scilicet, quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libellis **626** scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium hujusmundi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiæ postulant non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remedii arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quam primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pœnitentibus precator accedat. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populis auribus non publicetur conscientia confitentis. Hinc colligant quique, si canones sacri jubent excommunicare episcopum, quandiu non communicaverit illi, quem sibi dicit crimen secreta fuisse confessum, utrum debeat aut audeat aliquis de secreta confessione, sive per libellum sive per verbum credita, quemcunque publicæ pœnitentiæ legibus subdere, quanto minus conjugium legaliter initum sine certa et manifesta ratione dissolvere: cum idem Leo ad omnes episcopos per universas provincias

constitutos terribiliter intonet dicens (*epist. 1*): « Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. »

INTERROGATIO XII.

Quinto capitulo nobis rescribite, ex auctoritate Scripturarum, et traditione Patrum, de stupro, atque aborsu quæ scripta contineantur, cum auctorum nominibus et designatione librorum, ut scire possimus, utrum tali modo, sicut dicitur, femina possit concipere, et post aborsum virgo valeat permanere, sicut de ista dicitur accidisse: et si deprehensa fuerit hæc ante conjugium crimina perpetrasso, utrum in conjugio debeat aut valeat permanere.

RESPONSIO.

De stupro denique et aborsu, quæ sæpe dictæ objecta fuisse audivimus mulieri, ne secundum conjecturam humani arbitrii decernentes, æquissimum iudicem Dominum offendamus, ad sanctarum Scripturarum paginas recurramus: ait enim liber Deuteronomii: *Si duxerit vir uxorem, et postea eam odio habuerit, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit: Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni illam virginem; tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt: et dicet pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem: et ecce hæc sunt signa virginitatis filix meæ. Et expudent vestimentum coram senioribus civitatis, apprehendentque seniores urbis illius virum, et verberabunt illum condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel, habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ. Quod si verum est quod objecit, et non est inventa in puella virginitas, eijicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis ejus, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferes malum de medio tui (Deut. xxii, 13-21).* Et de incesto in Levitico scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus; ego Dominus. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis (Lev. xviii, 6 et 9.)* Et item: *Omnis anima quæ fecerit de abominationibus istis quæ scripsi, peribit de populo suo (ibid., 29).* Et item: *Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt, occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, et portabunt*

iniquitatem suam (Lev. xx, 17). Unde sanctus Augustinus: « Quid, ait, in hoc loco viderit, nisi concumbendo cognoverit; sicut alibi in lege dicitur: *cognovit uxorem suam (Gen. iv, 1)*, pro eo quod est, mistus est ei. Et quid ait: *peccatum suum accipient*, nisi quia ipsam pœnam peccati peccatum voluit appellari. » Et quia necessitate coacti, sicut et Apostolus, qui quodam loco de quibusdam dicit: *Quæ in occultis agunt, turpe est etiam dicere (Ephes. v, 12)*, constrictus necessitate apertissime ad Romanos redarguit masculos in masculos turpitudinem operantes, et feminas naturalem usum in eum usum qui est contra naturam mutant, velimus nolimus, timentes comminationem dicentis Domini, ut supra longe præmisimus: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc erubescet filius hominis coram angelis Dei (Luc. ix, 26)*; adhuc ponemus in hac causa de libro Geneseos: *Introiens, inquit, Onan filius Judæ filii Jacob patriarchæ ad uxorem fratris sui Iler primogeniti Judæ, qui fuit nequam in conspectu Domini, et ab eo occisus est, semen fundebat in terram, et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret (Gen. xxxviii, 7 et 9).* Et scriptum est in libro Levitici: *Qui dormierit cum masculo coitu femineque, uterque operatus est nefas, morte moriantur (Lev. xx, 13).* Unde et leges Romanæ decernunt in capitulis de stupratoribus, quod legens quisque inveniet. Et si de masculo cum masculo ita decernitur, quam aduventionem leges invenient de masculo et fratre cum sorore ex concubitu masculi Sodomitano? Sanctus nihilominus Augustinus in libro secundo ad Valerium Comitem, de Nuptiis et Concupiscentiâ scribit (*cap. 20*): « Quod autem ait, *inquiens, Apostolus de improbis: Relicto naturali usu femine exarserunt in desideria sua in invicem macculi in masculos turpitudinem operantes (Rom. i, 27)*, non dixit usum conjugalem, sed naturalem eum volens intelligi, qui sit membris ad hoc creatis, ut per ea possit ad generandum sexus uterque misceri: ac per hoc, cum eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est usus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea vero parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si et conjuge quisque utatur, **§28** contra naturam est et flagitiosum. Denique prius idem Apostolus de feminis dixit: *Nam femine eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam (ibid., 26).* Deinde masculis in masculos turpitudinem operantibus relicto usu femine naturali, non de isto nomine, id est naturali, conjugalis est laudata commistio, sed immundiora et sceleratiora flagitia denotata sunt, quasi illicite feminis, sed tamen naturaliter uterentur. » Et item in libro de Bono conjugali (*cap. 11*): « Cum vero, inquit, vir membro mulieris non ad hoc concessio uti voluerit, turpior est uxor si in se, quam si in alia fieri permiserit. » Et in secundo libro de adulterinis Conjugiis (*cap. 12*): « Si autem se non continet, licite nubat, ne turpiter generet, aut turpius concumbendo non generet. Quanquam hoc,

quod ultimum dixi, nonnulli faciunt etiam licite conjugati. Illicite namque et turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur: quod faciebat Onan filius Judæ, et occidit illum propter hoc Dominus. » Sic etiam interdum et solo visu, cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. « Quod tamen plerumque, ut sanctus Gregorius in libro *Moralium* vigesimo primo dicit (*cap. 9*): ex loco vel ordine concupiscentis discernitur: quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. » Et in epistola ad Sabinum subdiaconum regionarium: « Cum plerumque, inquit, quod in laicis culpa est, hoc crimen sit in sacro ordine constitutis, quanta in eis districtione puniendum sit piaculare flagitium, qui zelo rectitudinis utitur non ignorat. » Et item in præfato libro (*Moral. XXI, cap. 9*): « In personis tamen non dissimilibus isdem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, qui inter cætera asserit dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt (I Cor. VI, 9)*. Quod enim disjunctæ reatui sententiæ subdidit, quoniam valde a se dissident ostendit. » Et Augustinus in libro de Bono conjugii (*cap. 8*): « Malum est fornicatio, pejus adulterium; pejus est enim alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere. Et peior est incestus, quia pejus est cum matre, quam cum aliena uxore concumbere: et semper de malo ad pejus, donec ad ea perveniatur, quæ, sicut ait Apostolus, *turpe est etiam dicere (Ephes. V, 12)*. » Et sanctus Ambrosius in libro de Abraham (*lib. I, c. 6*): « Offerbat sanctus Lot filiarum pudorem. Nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam adversum naturam delinquere. » Et item in Epistola ad Corinthios (*cap. 7*): « Si tamen apostatet vir, aut usum quærat uxoris invertere, nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum. » Hæc ad exaggerationem criminis collecta sunt, ut hinc colligatur quantum mali sit fratris cum sorore incestus, etiam concubitu masculi Sodomitano, si forte causa ita se habet, quæ utraque per se perpetrata in Heptatico morte Domino præcipiente multantur: et eorum assertio nefandissima destruat, qui astruunt non esse scelus Sodomitanum, nisi quando intra corpus, id est in membro obscenæ partis corporeæ, videlicet intra aqualiculum fornicatur, male et improprie testimonio abutentes Apostoli: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, 629 extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (I Cor. VI, 18)*. Sed talis est, ut aiunt hujusmodi pollutio, ac si de digito suo fricat quis lutum per manum suam vel inter femora sua, et ex eodem luto manum suam abluat: similiter et hæc femina, post balneum ab hac pollutione lota penitus exstilit. Qui hæc dicunt, non catholici, sed Cynici, id est propter impudentiam canini hæretici sunt habendi, sicut sanctus Hieronymus in Epistola

A ad Ephesios demonstrat, exponens sententiam Apostoli qua dicit: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos (Ephes. V, 3)*: « Nisi, inquit, philosophorum quidam Cynicus exstisset, qui doceret, omnem titillationem carnis, et fluxum seminis ex qualicunque attritu tactuque venientem in tempore non vitandum, et nonnulli sapientes sæculi in hanc turpem et erubescendam hæresim consensissent, nunquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios, ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset, sicut decet, inquit, sanctos: ex quo sanctus non potest appellari, quicumque extra fornicationem in aliqua immunditia et avaritia voluptatum, quibus se delectaverit invenitur. Hoc enim scitote, inquit Apostolus, quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (*ibid.*, 5). » Et supra in libro secundo: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitie in operationem immunditiæ (Ephes. IV, 19)*: Omnes in avaritia desperantes se, inquit, in ritum irrationabilium bestiarum cæno voraginique mergentes, tradiderunt impuditiæ atque luxuriæ operantes quidquid corpus voluerit, mens desideraverit, libido suggesserit: et cum nihil omnino pretermiserint quod immundum sit, hoc totum fecerunt in avaritia dum nunquam luxuriando saturantur, nec eorum terminum habet voluptas, aut certe ultra concessam viri ad feminam conjunctionem, ad majora conscendunt, masculi in masculos turpitudine operantes. » Turpitudine enim est, ut idem doctor in tertio tomo ejusdem epistolæ exponit, abscondita cogitatio, cum inflammatur sensus ad libidinem, et carnis titillationibus anima ignita succenditur, et nihilominus Dei timore et mentis judicio refrenatur. Unde constat, quia sicut idem dicit Apostolus ad Romanos, cum masculi in masculos, vel feminæ in feminas, sive masculi in feminas, vel quilibet per se ipsos modo quolibet turpitudinem operantur, in immunditia est, quæ separat operantem a regno Dei, et in inferna demergit, sicut isdem dicit Apostolus: *Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei*. Unde et Isidorus in secundo libro Sententiarum dicit: « Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamvis quisque diversæ turpitudinis voluptate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, et homo a Deo separatur. » Et sanctus Prosper in libro de Virtutibus et Vitiis: « Hic quod ille corporis fluxus, qui fit in dormientibus sine culpa, interdum vigilantibus contingat, hic culpa. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellit, hic turpiter concupiscentia publicatur. Sed hæc concupiscentia illis vigilantibus hunc elixit fluxum, quibus per fœda colloquia sordidum commovet appetitum. » Hunc sordidum appetitum habent etiam feminæ, ut exponens Apostolum dicit Ambrosius, feminas turpitudinem operantes (*Rom. I*). Quæ carnem ad carnem, non autem genitale carnis mer-

ra carnem alterius, factura prohibente nant: sed naturalem hujusce partis corpora in eum usum qui est contra naturam int: quæ dicuntur quasdam machinas diærationis nihilominus ad exæstuandam liberari; et tamen fornicantes in corpus suum. Similiter et masculi in masculos turpitudinantes, id est ardorem libidinis evaporant. Iuptatem carnis, quæ se delectat, explens ab Apostolo masculorum concubitores ur, et molles (*I Cor. vi*), qui huic turpitudine succumbunt. Sed et qui tollit membra meretricis, adhærens membra qua unum corpus efficitur. Et qui sacrata, vel cum cognata, et cum ea quam habuit, vel cum uxore alterius, aut cum eu cum femina contra naturam flagitiose el qui semetipsum, per se, manu vel alio nodo polluit, ardorem libidinis explens, fort tanto damnabilis, et inde in pœnis grægne non pœnituerit, tormentandus, quante contra naturam sceleratius in corpus scaturat: quia ut sanctus Augustinus, et cæteri exponunt, in expletione fornicationis ita core et mens carnalis penitus absorbetur, aliud tunc vel cogitare prævaleat. Et peccæ non tantum contingit, quantum possidet o corpus et animam: de quo cum pertransadeo manet reatus, ut et inter ipsius pœgemitus stimuli pristinæ delectationis mir soleant excitari, et talium omnium faci atratores, sicut testatur Apostolus, exclu regno Dei, nisi antequam de corpore exeant, iosam confessionem et profusas lacrymas, mosynarum largitionem, dignosque pœniuctus, cum multa afflictione carnis, et conspiritus, tantorum abluere studuerint mamminum. Nemo igitur dicat, non perpetrare catum Sodomitanum, qui contra naturam illum vel in feminam turpitudinem operatur, i, vel attactu, seu motu impudico, ex delie et studio immundus efficitur: qui, ut do tolus, a regno Dei excluditur, cum alia cæcata, contra jura naturæ usurpata, Sodomæ Sodomitica appellantur, dicente ad civitatis plenam Domino per prophetam: *Hæc uit, iniquitas sororis tuæ Sodomæ, otium, saanis, et abundantia (Ezech. xvi, 49)*. Et Juantes coram Domino, ab Isaia principes rum, et populus Gomorrhæ vocati sunt 0): qui inter alia iniquitatum suarum faria posuerunt puerum in prostibulo, et um pretium in marsupiis: quorum dominati eminati, qui loco epheborum, quasi ad mam custodiam spadones effecti, impudiciæ et litia asciti, atque subacti libidini, quæ etiam mentes ut dicitur domare soles, servire et sis dominari diabolica adinventionem fuere Et hujusmodi vitia non solum sacrilegio,

A verum et idololatriæ, cujus mercedi sunt reddita, ut ostendit Apostolus, deputantur, sicut scriptum est de gulosis: *Quorum Deus venter est (Philip. iii, 15)*, et de luxuriosis, *et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt (Philip. v, 19)*: Deum quippe Scriptura gloriam appellavit, quæ dicit: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum (Psal. cv, 20)*; et de avaritia, *quæ est idolorum servitus (Ephes. v, 5)*, Scriptura testatur. Sic et de aliis, atque ex aliis, studiosus lector in Scripturis inveniet. De aborsu vero in Exodo scriptum est: *Si litigabunt duo viri, et percusserit mulierem in utero habentem, et exierit infans ejus nondum formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir mulieris, et dabit cum postulatione. Si autem formatus fuerit, dabit animam pro anima (Exod. xxi, 22, 23)*. Et de conceptu in Evangelio scriptum est: *Quod enim in ea natum est (Matth. i, 20)*, quod sine dubio, ut exponit Gregorius, *conceptum est* dicitur. Nam tunc primum Joseph hæsitare cœpit, quia tumentem sponsæ suæ uterum vidit. Hinc revolvamus ex lege quomodo fiat secundum naturam conceptio. *Mulier*, inquit, *quæ suscepto semine pepererit masculum sive feminam (Lev. xii, 1)*, et de parturitione sive formati, sive, ut præmisimus, informati, quod mulier, sive masculini, sive femini generis, parit vel abortit, scriptum est: *Omne quod aperit vulvam (Exod. xxxiv, 19)*. Notandum quia Scriptura perhibet mulierem suscipere semen, scilicet coitu virili per genitalem venam immissum in vulvæ secretum, bajulante matrice, sicut et physica lectione comperimus, et non, ut hæc adinventio dicit, semen sibi attrahere, vel assumere alibi, vel aliunde emissum: et in emissionem, quod de immisso semine conceperat, vulvam adaperiri eadem Scriptura testatur, videlicet pro primo partu, quæ servare clausuræ integritatem non potuit, etiam in primo naturaliter coitu. Credamus igitur quod legimus, et quod non legimus astruere nefas credamus. A sæculo enim non est auditum, nec de sub isto cœlo in Scriptura veritatis est lectum, ut vulva feminae sine coitu semen susceperit, atque conceperit, et clauso utero, et inaperta vulva, seu integra carne, vivum vel abortivum pepererit, excepta sola singulariter beata et benedicta Virgine Maria, cujus conceptio non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ad eam archangelo: *Ave, gratia plena (Luc. i, 28)*, in quam Spiritus sanctus supervenit, qui ei ex virgineo semine, virgineoque sanguine, sine voluntate carnis, et sine voluntate viri, fecunditatem proles contulit, virginitatem non abstulit: quæ sicut carne integra, et vulva non adaperita, id est clauso utero concepit, ita non aperta vulva, sed clauso utero peperit, simulque et mater exstitit, et perpetuo ac semper Virgo **632** permansit. Virgineum quippe, ut legimus, unde virgines quæ carne integræ sunt vocitantur, id est pelliculam, quæ in eis in concubitu primo corrumpitur, in emissionem cujuslibet partus integram permanere natura non patitur, et postquam virgineum illud

corrumpitur, virgo femina non habetur. Sed et in Scriptura legimus veritatis, quoniam hac diabolica adinventione, quæ de ista femina et suo fratre refertur, Onan cum uxore sua quærens explere libidinem, et nolens nasci filios, concubebat, qua de re a Domino percussus interiit (*Gen. xxxviii*). Unde non credimus tali concubitu hinc feminam potuisse concipere. Hæc ideo episcopi dicimus, non quod puellarum virginalia vel feminarum secreta, quæ experimento noscimus, scientibus revelare, aut nescientibus insinuare velimus; sed quoniam scriptum est: *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam* (*Job xxix, 16*), idcirco quæ in Ecclesiæ magistrorum scriptis relegimus, ante oculos revocamus, ut si in hujusmodi deprehensa, ad nos de iudicio justorum iudicium petens pœnitentiam venerit, sine errore eam iudicare possimus.

Quapropter et addimus, ut si dominus noster rex prædictam feminam invenit virginem, cur eam denotari quasi stupratam consentit? Si vero illam virginem non invenit, quare tandiu eam relinuit, vel cur de illa iudicium examinationis recepit? Verum illi nobilissimi laici conjugati, et æquissimi iudices, qui de hoc iudicare debent, melius nobis et citius per se scire, et licentia maritali ab uxoribus discere prævalebunt, utrum tali modo, sicut de ista audivimus, femina quælibet possit concipere. Et necesse est illis hoc solertius et curiosius vestigare, ne forte in hoc justitiæ et æquitatis iudicio possint quocunque errore interpretare, quod ut de talibus personis ad tantorum notitiam poterit pervenire, et quo de iudicio plurimi exemplum studebunt accipere. Nos autem, ut hujus negotii expertes, quæ legimus dicimus, et non inde amplius aut scire quærimus, aut investigare volumus. Viderint autem legum iudices, si verum inventum fuerit quod de hac femina dicitur, scilicet ut ante desponsationem, quandiu in sua vel ejus de quo denotatur potestate exstitit, indecens quid tale admisit, et postquam viro juncta est, illi se soli servavit, utrum eam morte condemnari decernerent, sive per legem Romanam, aut per illorum leges, vel quibus illa femina est subjecta, vel per quas illi eam voluerint iudicare. Sunt enim diversæ ut gentes, ita et earum leges, quas, si Christianæ sunt, in suis ordinibus, quæ juxta sunt decernentes, Ecclesia sancta non rejicit. Nos autem, sicuti Balæ notam, et criminis pœnam nosse qui de concilio post edictum Domini dato refugimus, ita neminem mori decernimus, sed omnes salvos fieri volumus, qui neminem perire desideramus: neque legibus sanctis et justis, quas hactenus sancta Ecclesia et episcopalis religio tum acceptavit, tum sustinuit, violentiam ullam inferre molimur. Sed tenendam esse, absque respectu cujuscunque personæ, viam regiam **633** in exquirendo iudicio commonemus, sicut magnificus doctor Gregorius ad Domitianum metropolitanum episcopum scribit (*lib. viii, epist. 50*): « Hortamur, inquit, fraternitatem tuam, ut

et veritatem cum omni studeat subtilitate perquirere, et ita contentionibus partium secundum justitiam citius finem imponere, ne pars quæque in iudicio se pati præjudicium conqueratur. Nam sicut sine iudicio quæquam nolumus condemnari, ita quæ diffinita fuerint, nulla patimur excusatione differri. » Et ad Constantium episcopum Mediolanensem scribit, unde in hac causa quisque sanus, sapiens, et recte intendens, similitudinem et exemplar non incongruum poterit sumere. Ait enim (*ibid., epist. 31*): « Si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc, quod de fratre nostro dictum est, fuisset ambiguum, sed utrum verum, an esset compositum, patuisset, quia jam contra ipsum dudum in Sicilia, apud reverendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum episcopum, talis quæstio, ut cognovimus, mota est: sed quia causa ipsius subtili omnino investigatione quæsita est, omnino inventus est innocens, quia fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta sunt, non sub illa qua decuit districtione quæsita sunt, et gesta, quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere, non levis res agitur, quæ aut incaute, vel in transcurso debeat diffiniri. Nam grave est satis et indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad diffiniendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur, si tamen eandem confessionem subtilitas examinis ex occultis ejiceret, et non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, ut noxios se fateri etiam cogantur innoxii. Nam postquam præfatus episcopus, ut dicitur, cruciari custodia, cremarique fame se asserit, scire debetis, si ita est, utrum noceat si sic fuerit extorta confessio. Nunquid quando sententiam tales causæ suscipiunt, et ad sedem apostolicam appellatur, non persona quæ iudicatur præsens est, et districtissime atque ab omni latere veritas quæritur, ut totum si debeat necne manere sententia decernatur? Et ideo postquam et persona absens est, et gesta ad nos transmisistis, nobis, sicut præfati sumus, idonee satisfacere non videntur, temere aliquid de fratris persona decernere nec debemus, nec possumus, ne quod absit reprehensibiles inveniamur nostris, quibus aliorum jure competit retrahere sententias. » Et ad Virgilium Arelatensem episcopum dicit (*lib. iii, epist. 63*): « Emendatio et dicta culpabilem feriat, et innocentem falsa opinio non affligat. » Et ad Columbium episcopum scribit (*lib. x, epist. 8*): « Quia satis perversum et contra ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frater pro quorundam voluntatibus quis privetur, quæ sua culpa vel facinus ab officii quo fungitur gratia non deiecit. » Hinc ergo colligant iudices, quia si stupro femina **634** reputatur, isdem qui ei vim intulit, vel eam ad scelus pellexit, accersendus est, magis per illum causa investiganda, et ipse iuste

re secundum legem examinandus est, A
iudicio liberandus vel puniendus est ;
im sicut audivimus parentum loco ipse
r marito tradiderit, quem secundum

Moysen præceptum, oportet, etiam si
u primo inventa non est, aut indicia
itatis ostendere, aut objectionibus stu-
re, ne forte eos qui juste judicare cu-
unque suspicio mordeat, et qui potius
alient alienis detrahere, quam sua sta-
derogandi inveniant, dicentes : Femina
minis et afflictionibus perterrita, nihil
iod et jubetur audet aut valet dicere.
ni in sua libertate est, et legaliter, aut
ingitur defendens liberetur, aut illi de-
atur, quoniam non solum particeps, sed
et exsecutor criminis est, concedens
atur : et aut in liberatione illius, ista
dia est, et propter timorem super se
dicit, legaliter liberetur, aut in puni-
egaliter puniatur, sicut in primo libro
æ capitulo sexto de stupratoribus, et in
imo de incestis et turpibus nuptiis præ-
cæteris, quæ Christiana jura depro-
judices legere possunt. Injustum est
sam iterum opprimi, et opprimentem de-
eris gloriari, quod valde sanctus Gre-
duinum Neapolitonum ducem et imma-
statur, dicens (*lib. XII, epist. 5*) : « Satis
s quod in milite illo, qui ancillam Dei
stigatione perdidit, districtissima vin-
us facta non fuerit. Nam et moribus et
ræ valde conveniens fuit, ut ante ad nos
perpetratæ culpæ iniquitas perveniret.
sine excusatione aliqua, vel modo quali-
sit erga charitatis custodiam demon-
ro exemplo aliorum districtè emendare
us festinetis, ut Deum vobis, in cujus
ria perpetravit, timore ejus neglecto
cabilem faciatis : nam tantam iniqui-
m remanere nullo modo patimur. » Et
res non surda aure debent audire quod
*thema in melio tui, non poteris stare
is tuis* (*Jos. VII, 13*). Et item sanctus
l Syagrium scribit episcopum (*lib. VII,*

Quia satis noxium atque perniciosum
fione prave agentis destruantur qui de
ius ædificari bene debuerant. In qua re
eculpabilis, sed etiam qui non restiterit
am consentire videtur erranti, qui cor-
secari debeat non concurrerit. »

licat, tam perversus homo non ad judi-
us, sed quasi jam judicatus damnandus
iod in Evangelio Joannis scriptum est di-
mum ad principes Judæorum de Jesu,
diciam comprehendere rogaverunt Scri-
it enim : *Nicodemus tamen unus ex Phari-
Dominum nocte venerat, respondit Judæis :
rostra judicat hominem, nisi audierit ab ip-*

so prius, et cognoverit quid faciat (*Joan. VII, 50, 51.*)

Et Dominus : *Nolite secundum faciem judicare, sed
justum judicium judicate* (*ibid., 24*). Et sanctus
Gregorius ab Sabinum subdiaconum de presbytero,
qui Sodomie nefario scelere et idololatria denotaba-
tur, scribit (*lib. VIII, epist. 5*) : « Quorumdam, inquit,
relatione perlatum est, quia Sisinnius Regitanæ civi-
tatis presbyter, quod auditu ipso intolerabile nimis
est, idolorum venerator ac cultor sit, adeo ut in
domo sua aliquid idolum positum habere præsume-
ret. Sed et quod non dissimile nefas est, Sodomie
illum scelere maculatum. Et ideo quia tanti facino-
ris iniquitas districta ac subtili investigatione quæ-
renda atque plectenda est, hac tibi auctoritate præ-
cipimus, ut vigilantissimo studio, et diligenti omnino

B
cura perquiras : et si qua indicia apprehendere hu-
jus rei potueris, eum in custodia districta, quousque
nobis renunties, redigas, ut qualiter immanissimum
facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possi-
mus. » Et si quis dixerit : Non audet isdem perversus
homo ad rationem venire, audiatur consilium
sancti Gregorii de Frontinatis hæreticis, qui ad
rationem deducendam aliter adduci non poterant,
quod scribit ad Maximianum Salonitanum episcopum
(*lib. VIII, epist. 33*) : « De Frontinianistis, inquit,
fraternitas tua sit omnino sollicita, et sicut cœpit
studeat, quatenus ad sinum sanctæ Ecclesiæ revo-
centur. Si qui vero ad me venire voluerint, et ra-
tionem recipere, prius jusjurandum præbeant, ac
promittant, quod in eorum errore etiam ratione re-
cepta non persistent ; et postmodum eis tua sancti-
tas promittat, quis a me nullam violentiam patiantur,
sed rationem reddo, si veritatem cognoverint, sus-
cipiant, si non cognoverint, illæsos dimitto. Si qui
vero contra vos sine juramento ex eis ad nos venire
voluerint, minime eos fraternitas tua retineat, quia
venientes, aut rationem recipient, aut scito quia
terram illam ulterius non videbunt. » Et in Cartha-
ginensi concilio scriptum est (*can. 30*) : « Placuit,
inquit, aut accusatus, vel accusator, in eo loco, unde
ille est qui accusatur, si metuit aliquam vim te-
merariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum,
quo non sit difficile testes perducere, ubi causa
finiatur. » Et si quis dixerit, Adduci non potest ad
iudicium, quia fultus aliorum patrocínio regum re-
bellionem tenet contra regem : qui pro hoc crimine

D
et etiam pro aliis, cum vellet in iudicium mittere
si posset, istam quam habet ad iudicium ducit ; ante
oculos habeant domni nostri reges veridicam sen-
tentiam Regis regum, qui est veritas et iudex vivo-
rum ac mortuorum, quæ dicit regi auxilium præstanti
contra justitiam : *Impio, inquit, præbes auxilium,
et his qui oderant me amicitia jungerts. Idcirco i-vam
quidem Domini, id est mortem, merebaris, sed bona
opera inventa sunt in te* (*II Par. XIX, 2, 3*). Prop-
terea timeant reges, qui talibus hominibus injusto
patrocínio præbent de quorum tuitione Deum of-
fendere possint, et Ecclesiæ ac pauperes Christi, et
humiliores homines opprimuntur et devastantur.

tur, et justa judicia exerceri non possunt : ne forte si tanta et talia bona propria non habuerint, quæ tanto malo possint obsistere, sine ullo obstaculo pereant, aut bona quæ habent pro alieno malo, cujus sunt participes, ante Dei oculos perditæ fiant, licet humano iudicio et corpore sani putentur. Sed et ne sententiam Scripturæ incurrant, qua dicitur ; Perit justus pro impio. Et ne aliquis eis perverse interpretetur sententiam Deuteronomii: *Non tradas servum domino suo, qui ad te confugit : habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbiurum requiescet, nec contristes eum* (Deut. xxiii, 15, 16), audiant quomodo illam beatus Augustinus exponat. Septuaginta, inquit, dicunt, Non trades puerum domino suo, qui appositus est tibi a domino suo : non quod eum dominus apposuerit, id est commendaverit, potius enim depositum diceret, sed appositum dixit a domino suo, id est adjunctum cum ab illo abscessisset. Non ergo suscipi sed reddi potius prohibuit fugitivos. Hoc quidem putari potest injustum, nisi intelligamus genti et populo ista dici, non uni homini : sed ex alia itaque gente refugientem ad istam gentem, cui loquebatur, hominem a domino suo, id est a rege suo reddi prohibuit. Quod etiam alienigena servavit rex Geth, quando ad eum refugit David a facie domini sui, hoc est, regis Saul (I Reg. xxvii). Apertissime autem hoc explanat, cum dicit de ipso refuga : *In vobis habitabit in omni loco ubi placuerit ei.* Hoc autem regnum de multorum manibus in manu parentum nostrorum regnum Deo gratias fuerat adunatum, et unum regnum una est Ecclesia, quæ illorum divisione, qui sicut unus homo et unus rector in uno regimine esse debent, dividi nullatenus debent. Nec dici debet, ut inter principes nostros de una gente vel de uno regno, ad aliam gentem vel ad aliud regnum quisque refugiat, sed potius in uno regno, sicut Christianos decet, et in unitate Ecclesiæ matris consistant. Ad quam Ecclesiam confugientes quod patrocinium habere debeant, sanctus Gregorius ad Joannem episcopum Caralitane civitatis scribit : Si qui, inquit, de quibus est quæstio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, ut eis sacramento ab his quorum interest de servanda lege et justitia promittatur, et per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. Ad cujus instar principes nostri catholicæ filii divinis mandatis obedire debent, memores quod teste Deo manu propria firmaverunt : videlicet quia hujusmodi homines non solum non tueri, atque contra legem vel rationem defendere, verum vel recipere deberent, nisi ad hoc usque, ut ad reddendam rectam rationem venirent. Quidam autem ex eisdem regibus qui hoc firmaverunt, adhuc Deo gratias corpore vivunt, et quidam migravit ad Dominum. Sed pro patre nati sunt filii, a quibus secundum legem Romanam, 627 quam prædecessores eorum imperatores et re-

ges condiderunt, et servaverunt, et populus per eam feliciter rexerunt et correxerunt, actio quæ ab auctore inchoata est, ut ab hæredibus peragenda est : quique ita prædecessorum suorum bene statuta debent in omnibus conservare, sicuti sua constituta a suis successoribus cupiunt conservari. Et non leve regibus vel quibuscumque aliis videatur infringere quod suis student manibus roborare, quia ex divina doctrina, et apostolica traditione, tam maxima res semper ab ipsis primis sæculis manus confirmatio fuit, ut de ipsis apostolorum vicariis, illi ipsi apostolorum vicarii super cælesti auctoritate decreverint. « Ut qui contra suam subscriptionem in aliquo venerit, ipse se privet honore. » Et non dicant reges, hoc de episcopis et non est de regibus constitutum : sed attendentes quia si sub uno rege ac sacerdote Christo, a cujus nominis derivatione christi Domini appellantur, iu populi regimine sublimati et honorati esse desiderant, cujus honore, et amore atque timore, participatione magni nominis domini et reges vocantur, cum sint homines sicut et cæteri, et partem cum his in regno cælorum habere volunt, qui sacro peruncti sunt chrismate, quod a Christi nomine nomen accepit, qui exinde unxit sacerdotes, prophetas, reges, et martyres, ille unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, quique fecit eos in baptismate reges et sacerdotes Deo nostro, et genus regium, ac regale sacerdotium, secundum apostolos Joannem et Petrum (Apoc. ii. I Petr. ii) : intelligant et credant se in oculis Dei privari regii nominis et officii dignitate, quando si illud placitum Deo fuit quod manu firmaverant, faciunt contra manus suæ conscriptionem, licet illud nomen usurpent ante oculos hominum terrena et instabili potestate : quoniam sicut vivunt reges boni et justii in suis legibus bonis et justis, quando per eas premuntur et puniuntur noxii, et relevantur ac liberantur innoxii, ita vivunt apostolici viri in regulis promulgatis et suis manibus confirmatis, quibus judicati sunt contra illas agentes ex illa dicitur quæ constitutæ sunt. Et sicut Apostolus de illa dicitur quæ vivens mortua est (Apoc. xvi), ita et talis transgressor, licet illi qui nunc apostolorum vices retinent, eum, aut quia ignorant, aut quia dissimulant quod actum est, non adjudicent, si se non ante ultimum diem correxerit, inter damnandos in iudicio de majoribus duntaxat transgressionibus positus adjudicabitur. *Lex enim non est posita justis*, sicut dicit Apostolus (I Tim. i, 9), sed transgressoribus, et sceleratis, homicidis, et parricidis, ac fornicariis, atque reprobis, et prævaricatoribus. Nam non sine causa scriptum legitur, quoniam verba Decalogi digito sunt scripta. Valituram quippe in perpetuum legem illam esse decrevit, quam digito, id est spiritu scripsit. Et de electis Dominus in Evangelio dicit : *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo* (Mat. xvi, 10). De reprobis autem Jeremias propheta dicit : *Recedentes a te, Domine, in terra scribentur* (Jer. xvii, 13). Non autem pueriliter sapiendum 628 est

quasi Deus ad remedium oblivionis bonos in cœlis, malos scribat in terris : sed salubriter intelligendum, quod sive cœlestia, seu terrestria quis operagesserit, per hæc quasi litteris adnotatus apud Dei memoriam sit æternaliter affixus : in hoc jure demonstrans, ut quod quisque juste et rationabiliter manu firmaverit, inviolabiliter ac perseveranti conservet justitia; nec inaniter suum nomen qui ad baptizandum venit, si ætatem habet, aut patronus pro puero, sed et publice pœnitens ad reconciliationem accedens, scriptum nomen proprium ex traditione ecclesiastica donat, quod super sacrum altare inter sacramentorum cœlestium celebrationem ponitur, et recitandum ad locum per sacerdotem Domino commendatur. In sacris nihilominus dypticis non frivole nomina fidelium tam virorum quam defunctorum scribuntur, et infidelium de eisdem dypticis etiam post mortem divino judicio, si conscripta fuerant, eraduntur. Sed forte quasi principali fulti licentia dicunt principes : Quid magni mali contra Deum facio, vel quis me inde judicabit, qui super omnes consisto, si præceptum, vel edictum, quod manu confirmo, aut iufringo, aut non attendo? Primum quidem attendant, quia si illi super alios sunt, super illos Deus est : et si prave egerint, et se non correxerint, tanto gravius judicabuntur, quanto in throno regni cæteris celsius præponuntur. Reges enim et sacerdotes subditorum prava acta corrigunt : sed oblivisci non debent, quia illorum mala per ipsum Dominum judicabuntur : nec surda aure debent audire quod scriptum est : *Potentes potenter tormenta patientur, exiguo autem conceditur misericordia* (Sap. VI, 7). Deinde legant historiam sancti Abrahæ (Gen. XXII), qui chartam confirmationis a venditore sepulcri conjugis suæ coram filiis et populo terræ pro tam magno accepit, ut etiam adoraret in terra populum terræ, filios videlicet Heth, quatenus id obtineret audita concessione illorum, et quam magni hoc pendere debeant invenire valebunt. Sed et in lege de hac confirmatione sufficienter invenient, quæ tantum et ante adventum Christi viguit ut etiam Pilatus ex antiqua consuetudine instructus, poscentibus Judæis ut refragaretur quod in Christi titulo scripserat, dixerit, *Quod scripsi, scripsi* (Joan. XIX, 22), nolens infectum vel immutatum esse quod fecerat. Quod et longe ante firmatum Dominica stipulatione fuerat, sicut psalmo superscriptum est, *Ne corumpas tituli inscriptionem* (Psal. LXXIV). Et quam certissimæ stabilitatis ac firmitatis credi debeat chirographum. id est manu scriptum, in libro Tobie legitur, et in Evangelio de conscriptis cautionibus demonstratur. Sed quidam principes, quod Deus a nostris Christianis principibus longe faciat, forte non provident, quia post illos infirma firmatio illorum manet, et ipsi decedunt, et sicut sanctus Augustinus dicit : Transit actus, et manet reatus. Quod suum erat locis sanctis donant per confirmationem, et sibi usurpant per occupationem, 639 quod ut sæculi pauperiores non obtinent per deprecata præstationem : imo et sibi

auferunt, et locis sanctis non tribuunt, et unde sibi debuerant operari remedium, perpetrant sacrilegium : et si sacrilegium perpetrant de suis non benedatis, considerandum est quantum sibi periculum faciunt de rebus ab aliis Deo donatis, et a se contra Deum et ipsi Deo ablatis. Unde sanctus Gregorius in epistola ad Sabinum subdiaconum scribens (lib. VIII, epist. 7) : « Sacrilegium, inquit, et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere. » Et sacri canones (conc. Agath, c. 4) : « Clerici, inquit, vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverunt ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur. » Quapropter sciant quia cum peccatis propriis, pro omnibus etiam illorum peccatis qui easdem res pro redemptione animæ suæ dederunt, in futuro judicio punientur : et non postponant qui forte confirmant inconsulte quod fidelibus vel amicis suis donant, et sine judicio auferunt, quando quæ dederant ad memoriam pœnitendo reducunt : non attendentes, quia illi vadunt de sæculo, cum exit de corpore anima, et remanet in sæculo terra, et tenetur a vacuo possessore rerum illarum confirmationis regiæ charta, et cum suspirant corda, provocantur ad maledicendum fortassis non sine peccati pondere labia; cum utrumque providendum erat, ne videlicet inconsulte quiddam rex daret, nec sine judicio cuiquam æquitatis quiddam auferret, neve post judicium de ablatis charta indisrupta maneret. Scriptum est enim : *Memoria justorum cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet* (Prov. X, 6). Melius itaque et rationalibus esset, ut per rationem indisrupta charta putresceret, et laus æquitatis eorum maneret, quam charta confirmationis maneret, et nomen laudis putresceret. Sed forte hæc legentes vel audientes principes dicent : « Bene nos castigaverunt episcopi : nihil per præcepta donabimus, ne iterum reprehendamus. » Econtra audiant quid voce castigantium propheta conqueritur dicens : *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (Jer. LI, 9). Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur, quando mens in prava actione confusa, verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, et tamen ad recta salutis itinera redire contemnit. Et per Sapientiam : *Sicut acetum, inquit, in nitro, ita ei qui cantat carmina cordi pessimo* (Prov. XXV, 30). Cum acetum in nitro mittitur, effervescit protinus et ebullit : sic plerumque et corda potentium, qui de potentia tument, et non se de humanitate humiliant, veluti Abraham Domino dixit, humilians se de exaltatione colloquutionis ejus : *Loquar ad Dominum meum cum sim cinis et pulvis* (Gen. XVIII, 27). Quande correptionem castigantis missi Domini audiunt, ex tumore cordis in verba contradictionis erumpunt : Dare sanctis locis vel fidelibus viris non vetuerunt 640 episcopi, cantantes omnibus : *Vovete*

et reddite Domino Deo vestro (Psal. lxxv, 12); et : *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* (Eccli. xxxii, 24); et : *Non facias quod iniquum est, neque injuste judicabis* (Lev. xix, 15); et : *Iuste judica proximo tuo* (ibid.). Sicut non vult princeps sibi tolli a fortiore suo quod Deus illi concessit, ita et ipse non sine æquitatis judicio auferat a quoquam vel quod dedit, vel quod non dedit, quia scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias* (Tob. iv, 16). Sed potius etiam atque etiam prædicaverunt episcopi : *Facite vobis amicos de mammoni iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (Luc. xvi, 9); et : *Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec locus, nec ratio est apud inferos, quo tu properas* (Eccli. ix, 10). Et sicut ista quæ utilia et honesta sunt prædicaverunt episcopi, ita nihilominus prædicant ut turpem notam regio nomini rex a se festinet abscondere, et quantum potest abluere et per singulos dies, et per singulos actus, memor sententiæ Deuteronomii dicentis : *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo : cumque sederis, folies per circumutum, et egesta humo operies quo revelatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos : ut sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te* (Deut. xxiii, 12-14). Naturæ quippe corruptibile pondere prægravati, a mentis nostræ utero quædam cogitationum superflua, et ab actionis nostræ opere regimine indigna, quasi ventris gravamina erumpunt, et portare sub balteo paxillum debemus, qui rectores in populo sumus, ut videlicet ad reprehendentes nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ dolore pœnitentiæ confodiat, et hoc quod a nobis fœtidum erumpit abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostræ superfluitas, vel operationis nostræ reprehensibilis fœditas, subtili redargutione discussa, et honesta operatione correctâ, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum et correctionis bonum celatur. Perpendendum est etiam, quia antiqui reges et imperatores suis legibus statuerunt, ut charta confirmationis quinque, vel septem, aut decem, ut scribit Ambrosius, testibus roborata constaret. Sed et jure civili in conscriptione chartarum conditionalis constitutio ponitur, quo dispendio, qui eandem chartam infringere tentaverit, fisco multetur, et accusator accusationis scripturæ subscribens, se a conditione mutare non poterit. De sua autem confirmatione nihil scripserunt, quia principis manus, sicut de David in Regum libro dictum legimus, pro decem millibus computatur (I Reg. xviii). Et rex a Deo vel ad gratiam, vel propter peccata populi constitutus, ab ipso Rege regum de suis vel justis actibus coronabitur, vel injustis judiciis et iniquis actionibus æquitatis judicio judicatus multabitur. Inseruerunt etiam in eisdem legibus ad legem Corneliam testamenta-

riam, de his, qui testamentum quodve aliud instrumentum falsum sciens, dolo malo scripsit, suppresserit, abmoverit, designaverit, deleverit, honestiorem quidem in insulam deportari, humiliorem autem in metallum damnari, aut in crucem levari, servum vero capite puniri. Et, ut beatus Augustinus commemorat in Joannis evangelistæ Commento (tract. 7) : « Juris forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit principi non illi prosit scriptum quod impetraverit, imo etiam careat ipsius beneficio scripti, quo scriptum perduxerit. » De confirmationis autem suæ scriptura nihil dixerunt, quia quod firmaverunt, infringere nefas duxerunt, sicut in libro Esther legitur quantam validitudo annuli regis habeat signatio (Esth. iii), quantam cautelam signi illius vacuatio, quanto magis regis manus subscriptio. Et nec perfunctorie ducere, debet regia dignitas quod in suis præceptis scribitur. Et ut hoc, inquit, nostræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, et : Data illo, vel illo anno in Dei nomine feliciter, ne quod in Dei nomine feliciter confirmatur, sine Dei, id est, sine veritatis judicio infeliciter effectetur, quia scriptum est : *Non polluas nomen Domini tui* (Lev. xviii, 21); et : *Non accipis nomen Domini tui in vanum* (Exod. xxx, 7). Legant quoque Paulum, et expositores ipsius Apostoli, quam magno sit dictum quod scripsit idem divinus Apostolus in suis Epistolis : *Videte quales litteras scripsi manu* (Gal. vi, 11). Et item : *Salutatio manu Pauli* (I Cor. xvi, 21). Unde reges, qui subscriptione manus suæ a se data, vel privilegia eorum cum anathematismo manibus roborata firmant, et illa postea conservare parvipendunt, detractant, quasi anathematis vinculo non tenentur obstricti, sententiam beati Gregorii ex epistola ad Theotistam patriciam audiant (lib. xii, epist. 39) : « Ipsi, inquit, sibi testes sunt quia Christiani sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se estimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutio sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, reputant, si ligaturas ejus veras esse ac valere æstimant, et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. » Si qui sunt et legitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, eos et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus. Hæc dicimus, ut secundum rationem et legis ordinem cuncta agant regni principes, et Ecclesiæ sanctæ rectores, sed et cum æquitatis judicio supra scripta causa diffiniantur. Ordinem autem constituendi judicium, si Huobertus pro hac causa ad audientiam, et de civili in iudicium ad ecclesiasticum judicium venerit, idem beatus Gregorius in commonitorio ad Joannem Defensorem eundem in Hispanias descripsit, dicens (lib. xii, epist. 50) : « Primum ut sic ordinabiliter fiat, quatenus alii sint accusatores, et alii testes, Dein de causæ qualitas exploretur, si digna exilio vel con-

demnatione sit, et ut eo præsente sub jurejurando contra eum testimonium proferatur, seu scriptis actum inseratur : et ut ipse licentiam respondendi et defendendi se habeat. Sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter erit quærendum, **6.42** cujus conditionis, cujusve opinionis, aut ne inopes sint, ac ne forte aliquas contra eum inimicitias habeant : et utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testificati fuerint ; et ut scriptis judicatum sit, et sic partibus præsentibus sententia recitetur, et ita hæc omnia solemniter roborentur. »

Cæterum si femina ante initum conjugium de scelere cum fratre suo culpabilis invenitur, ponendum duximus instar judicii de epistola ejusdem sancti Gregorii ad Joannem episcopum Panormitanum, de quadam femina, quam aliquis homo, antequam diaconus ordinaretur, reliquit, et post mutatam vestem eisdem marito tradiderit. Ait enim (*lib. xi, epist. 60*) : « Quia sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda semper est veritas, ut inquiri debeat, utrum accusatum noxa condemnet, an a pena innocentia patefacta subducatur. Itaque pervenit ad nos Fantinum defensorem ultionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quod, quantum dicitur, relictam cujusdam diaconi, tempore quo conductor fuit, marito tradiderit. Sed quoniam isto conjugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec virginem illam ad eum venisse ; denique nec religiosam mutasse vestem, postquam ille in ordine sacro promotus est, adjiciens etiam, priusquam ad diaconatum perveniret, et postea, prava illam opinione vixisse. Ideoque fraternitatem tuam his hortamur assatibus, ut cum Dei, sicut decet, timere causam hanc subtili omnino investigatione perquirat, et si in conjugio diaconi mulierem, de qua agitur, fuisse constiterit, et suprascriptus laudator memorato defensori et rectori patrimonii ad vindictam modis omnibus tradatur, et cum competentem emendationem hi qui male societati sunt disjungantur. » Huc de sancti Gregorii verbis exorsimus.

Et sicut supra de beati Augustini verbis posuimus, quoniam quod agebat in lege veteri, vel etiam quod nunc agit in reipublicæ legibus interfectio, hoc operatur in Ecclesia excommunicatio, et ab Ecclesia separatio ; si de legibus publicis, quæcunque femina hujusmodi sceleribus, sicut præmissum est, irretita, evadens forense judicium, ad episcopale iudicium venerit, secundum sacrum Ancyranum concilium (*can. 15 et 20*), de his qui fornicantur irrationabiliter, id est cum masculis vel pecoribus, et de illis mulieribus quæ fornicantur et partus suos necant, vel quæ agunt secum ut utero conceptos excutiant, inter eos orare, ut videtur nobis, præcipietur, qui spiritu periclitantur immundo, et per districtam decennalem pœnitentiam castigata, usque ad vitæ finem dignis pœnitentiæ fructibus incumbere, reservato sibi pro ecclesiastica pietate, si mortis

metus ingruerit, viatico munere judicabitur, segregata non solum a toro regio, verum etiam ab omni conjugali consortio, secundum decreta beati Gregorii papæ ad Felicem Siciliensem episcopum, quibus dicit (*lib. xii, epist. 32*) : « Progeniem, inquit, suam unumquemque de his, qui fideliter edocti, **6.43** et jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimanam observare decernimus generationem, et quoad se cognoscunt affinitate propinquos, ad hujusmodi copulæ non accedere societatem. Neque eam, quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita copulatione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto Christianorum licet vel licebit, quia incestuosus est talis coitus, et abominabilis Deo et cunctis hominibus. Incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis Patribus dudum legimus constitutum. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod omnes incestuosi a limitibus sanctæ Ecclesiæ sint separandi, usquequo per satisfactionem precibus sacerdotum eidem sanctæ catholicæ reconcilientur. » Et in edicto canonico ante corpus beati Petri prolato (*Greg. xi in synod. Rom*) : « Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. » Et sanctus Ambrosius in prima epistola ad Corinthios dicit : « Non est enim frater, aut soror servituti subjectus in ejusmodi (*I Cor. vii, 15*) : hoc est non deberi reverentiam conjugii ei qui horruit auctorem conjugii. Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei devotione est. » Et sanctus Hieronymus in tertio libro commentarii epistolæ Pauli ad Ephesios : « Quomodo itaque, inquit, Christo subjecta est Ecclesia, sic subjecta sit uxor viro suo. Quem enim habet principatum et subjectionem Christus et Ecclesia, huic eidem ordini maritus et uxor astringitur. Sed videndum ut quomodo in Christo et in Ecclesia sancta conjunctio est, ita et in viro et in muliere sancta sit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christi est, sic non omne matrimonium ; quod in viro suo secundum Christi præcepta non jungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium. » Hinc intelligenter est adnotandum, quia quod isto ipse doctor in epistola ad Amandum presbyterum dicit (*epist. 147*), quod quoad vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet, de eo dicit, qui post legitimum initum conjugium, in ipso peccat conjugio, in quo jure pari vir et mulier tenentur sententia. In hoc autem loco de ea vel eo agitur, qui ante initum legitimum conjugium, perpetrato incestu legitimum quod habere poterat sibi tollit conjugium. Et in concilio Agathensi (*can. 61*) : « De incestis conjunctionibus, inquit, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestuosos vere nullo conjugii no-

mine deputandos, quos etiam designari funestum est. » Et sanctus Augustinus in libro de Bono conjugali : « Aliud est non concumbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud autem, carnis quidem concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam, quia et sine causa propagandæ prolis 644 concumbitur, non tamen hujus libidinis causa propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo : nam hoc faciunt, qui quamvis vocentur, conjuges non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eo usque progrediuntur, ut exponant filios suos qui nascuntur invitæ, oderunt autem nutrire, vel habere quos gignere metuebant. Itaque cum in suos sævit quos genuit tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, et occulta turpitudine manifesta crudelitate convincitur. Aliquando eo usque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut et etiam sterilitatis venena procuret, et si nihil valuerit conceptos fœtus aliquo modo intra viscera exstinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere, aut si in utero jam vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, conjuges non sunt et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo mariti meretrix, aut ille adulter uxoris. »

INTERROGATIO XIII.

Sexto nobis capitulo remandate, si idem rex, postquam talia de præfata uxore sua audivit, et ab ejus carnali commercio suspensus fuit, forte concubina usus adulterium perpetraverit, et si hoc ad plurimorum pervenit notitiam, quo debeat sanari medicinali judicio. Et si fortassis acciderit, ut quisque homo sacramento attendere se obligaverit, quod criminis sit agere, utrum quod juravit, ne tunc currat perjurium, debeat adimplere, an, ne crimen admittat, quod male juravit in irritum debet ducere : et si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt feminae, quæ maleficio suo inter virum et uxorem odium irreconciliabile possint mittere, et inenarrabilem amorem iterum inter virum et feminam serere, et quod vir legitime sortitam conjugem maritali commercio non possit adire, et aliis valeat feminis commisceri, et itidem eodem maleficio potentia concumbendi, et dilectione quondam habita fruendi per artem maleficarum possit restitui. Et quæ sit causa cur Deus, ut dicitur, sæpe in legitimo conjugio permittat talia fieri. Et si forte tales viri malefici, vel incantatrices feminae inventæ fuerint, quid de hujusmodi debeat fieri.

RESPONSIO.

Respondemus, si forte, ut fertur, rex, de quo agitur, post legaliter initum conjugium, cum alia aliqua carnis commistione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiam

si femina, quam duxit uxorem, de talibus, sicut reputatur 645 rea fuerit fortassis inventa, quoniam post legaliter initum conjugium ante legalem definitionem præsumpsit illicita. Apostolus enim dicit alligatam esse uxorem sub lege viri quando tempore vir ejus vivit, mortuo autem eo solutam esse lege viri (1 Cor. vii). Et secundum sacram auctoritatem, legaliter desponsatam, dotatam, et publici nuptiis honoratam, uxorem esse nemo qui dubitet. Sed et unam esse legem in hoc jure viri et uxoris eadem sacra testatur auctoritas. Et ideo, antequam a jugo gravi super filios Adæ a die egressus de ventre matris eorum, usque in diem ingressus in ventrem omnium matris, alter ab altero dissolvatur aut lege ab eo, qui per conditores legum juxta decernit, comprobetur quod est initum non legitimum fuisse conjugium, quicumque eorum unam carnem per adulterium in duo diviserit, non commississe adulterium dici non poterit, Magnus etenim Leo papa de forensibus legibus ecclesiasticis modum tribuit ad Nicetani Aquileiensem episcopum scribens (epist. 85) : Ut sicut in mancipiis, vel agris, aut etiam in domibus, ac possessionibus, in captivitate ductis postliminium reversis de captivitate servantur : ita etiam et conjugia, si aliis juncta fuerint, reformantur. Et nos de eisdem legibus ad exemplum ipsius debemus conjicere, quoniam si quilibet quod ei jure posset competere contra jus sibi præsumpsit, per legem ei quem spoliaverat cogatur legali emendare. Quapropter si quilibet legaliter conjugatus, ante judicium ex criminata determinatum, contra matrimonii jura, aut publico aut secreto præsumpsit, necesse erit eum legibus præfixis transgressoribus aut secreto aut publice subjacere, quibus decretum est in concilio Africano (can. 40) : Ut pœnitentibus, secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Et in concilio Carthaginensi (conc. Carth. iv, can. 74) : « Ut sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ lege injungatur. » Et (can. 47) : « Si quis fidelis, secundum Elibertanum concilium, habens uxorem non semel sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis conveniendus est ; quod si se promiserit cessaturum, communicatio illi donanda est : si resuscitatus rursus mœchatus fuerit, ut non ulterius de communione pacis ludat, severe abscindendus est. » Et juxta Ancyranum concilium (can. 19) : « Uxor adulterata, vel maritus committens adulterium, post septem annorum pœnitentiam reconciliationis et communionis perfectionem consecuturi sunt. » Et item secundum Elibertanum concilium (can. 69) : « Si quis uxorem habens semel lapsus fuerit, post quinquennem pœnitentiam reconciliandus est, vel si necessitas infirmitatis coegerit, ante communio ei largienda est. » Similiter et synodus Toletana constituit (conc. Tol. can. 17) : « Qui uxorem simul et concubinam habuerit, a communione Ecclesiæ separandus est. » In qua separatione, vel post dignam satisfactionem

, summopere debent pastores Ecclesiarum successores atque vicarii providit beatus Gregorius (*Hom. 26 in olvendi ac ligandi auctoritatem sunt n regiminis sortiuntur adepti, ne in gaudis subditis suæ volantatis motus, sarum merita sequantur, ut vel dam-, vel alios ipsi ligati solvant, seque ip- et solvendi potestate privent, qui hanc tibus et non pro subjectorum moribus ga quemlibet proximum odio vel gratia ia digne de subditis judicare nequi- itorum causis sua, vel odia, vel gratiam int. Unde recte per prophetam dicitur : imas quæ non moriuntur, et vivificabant on vivunt (Ezech. XIII, 19). Non mo- e mortificat, qui justum damnat, et vivificare nititur, qui reum a suppli- onatur. Causæ ergo pensandæ sunt, i atque solvendi potestas exercenda. quæ culpa præcessit, aut quæ sit pæ- i post culpam : ut quos omnipotens unctionis gratiam visitat, illos pasto- bsolvat. Tunc enim vera est absolutio um interni arbitrium sequitur judi- nos debemus per pastorem auctori- quos auctorem nostrum cognoscimus m gratiam vivificare. Quæ nimirum operationem rectitudinis in ipsa jam nessione peccati, quæ non verbote- t summis vix labiis solet fieri, sed cordis procedit affectu, sicut David*

Domino, et audire meruit, Dominus utum tuum, non morieris (II Reg. XII, dicit : Rugiebam a gemitu cordis mei) ; et : Iniquitatem meam annuntiabo, peccato meo (ibid., v. 19). Sicut et in quam pro peccato admissio sustinuit filii sui, cogitavit dicens : Respiciat tionem meam, et reddat mihi bonum re hac (II Reg. XVI, 12). Quibus cons- r confitentibus nec satisfactio inter- æ communicatio deneganda. Alioquin in corporis sacri et sanguinis pretiosi nostri sacramenta præsumunt, qui in- urificati vel absoluti, sed potius sedu- ti sunt a talibus pastoribus, de quibus

: Væ his qui consuunt pulvillos sub anus, et faciunt cervicalia sub capite is ad capiendas animas (Ezech. XIII, entes a sua rectitudine animas, atque i delectatione reclinantes, blanda ad- ut, ut in errore molliter jaceant, quos contradictionis pulsat : quod recto- ntes his procul dubio exhibent, a qui- posse in studio gloriæ temporalis ti- us iterum scriptum est : Popule meus, ut, ipsi te decipiunt, et viam gressuum int (Esa. III, 12). Et item : Prophetæ

A *tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniqui- tatem tuam, ut te ad penitentiam provocarent (Thren. II, 14). Quia dum corripere culpas metuunt, in cassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur et sic vel in affectu peccandi manentes, vel ante congruam satisfactionem divina usurpantes myste- ria, bonum Dei donum faciunt suum judicium. Quo- niam sicut auctores sancti, ut demonstrat venerabilis presbyter Beda in commento Evangelii Lucæ, expo- nentes sententiam dicentis Domini, Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa, verumtamen væ illi homini per quem tradetur (Luc. XXII, 21), dicunt ho- die quoque ut usque in sempiternum. Væ illi homini, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui et in- sidiis mente conditis, præcordiis aliquo scelere pol- lutis, mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Judæ filium ho- minis tradit, non quidem Judæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus, membris videlicet suis, quibus illud inæstimabile et inviolabile Domini corpus vio- lare præsumit. Ille Dominum vendit, qui ejus amore ac timore neglecto, terrena et caduca, imo etiam criminosa plus amare et curare convincitur. Væ, inquam, illi homini, de quo Jesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, utpote proposita consecraturus, adesse non dubitatur, astantibus sibi ministris cælestibus, queri cogitur, Ecce, inquit, manens tradentis me mecum est in mensa. Et Paulus dicit : Si quis frater nominatur, et est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebri- sus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere (I Cor v. 11). Et item dicit : Iniqui regnum Dei non possidebunt, Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, aequè ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt (I Cor VI, 9, 10), Et item : Fornica- tores et adulteros iudicabit Deus (Hebr. XIII, 4). Et item : Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (I Cor. VI, 18). Unde Ambrosius osten- dit gravissimum esse peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio pe- rit, non totum. Totum enim corpus vir est et mu- lier, quia portio viri est mulier : quicumque enim aliud peccatum admiserit, extra se peccat, fornicari- us vero in carnem suam peccat. Quanquam enim omnia peccata carnalem hominem præsent, hoc ta- men specialiter desiderium carnis est, quod sordibus maculatam animam cum corpore tradit gehennæ : quia victa anima a libidine carnis fit caro, sicut et corpus recte gubernatum spiritale appellatur. Ani- mus tamen est, qui aut victus illecebris totum homi- nem carneum fecit, aut in vigore naturæ suæ ma- nens, carni præstat ut spiritalis dicatur. Quapropter sanxerunt Spiritu sancto in se loquente canonum conditores ut a communione tales homines usque ad satisfactionem separentur : quoniam qui alieni a regno Dei sunt, ab Ecclesia, quæ et regnum Dei est*

et nominatur, usque ad correctionem et satisfactionem debent modis omnibus separari: et cum quibus Christi discipulos cibum sumere non oportet, eis dare sacram communionem non debent Domini sacerdotes, ipso prohibente in Evangelio: *Nolite dare sanctum canibus (Matth. vii, 6)*. Quales designat Petrus dicens: *Sicut sus lota in volutabro luti, et canis reversus ad vomitum suum talis est (II Petr. ii, 22)*, ut Salomon dicit, *Stultus iterans stultitiam suam (Prov. xxvi, 21)*. Et qui in peccato manens, vel ante correctionem, et satisfactionem peccati criminalis, Dominicam cœnam præsumit ad manducandum, in suam condemnationem, ut præmisimus, eandem cœnam præsumit, attestante Apostolo: *Quicumque, inquit, edit panem hunc, aut bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini (I Cor. xi, 27)*. Unde sanctus Ambrosius dicit: *Quid est autem reum esse corporis et sanguinis Domini, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim, pro his qui beneficium ejus in irritum ducunt. Probat autem, dicit iterum Paulus, homo seipsum, et sic de pane illo edat, et de calice bibit (ibid., 28)*. Probare enim seipsum, id est corrigere se debet homo a peccato, et ipsum reprobare peccatum, et post dignam satisfactionem accedere ad sacram communionem, ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet judicare, quia Dominus est cujus corpus sumit et sanguinem. Et quod subsequitur, *Ideo in vobis multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi (I Cor. xi, 30)*, ad hoc posuit, ut imaginem ostenderet iudicii in eos qui inconsiderate Domini corpus accipiunt: quia sicut illi corporaliter infirmabantur et moriebantur, ita quicumque in peccato manet, vel affectum peccandi habet, et corpus et sanguinem Domini sumit, unde vitam posset accipere, si condigna satisfactione post dignam pœnitentiam sacramenta illa acciperet, inde mortem sibi indigne accipiendo assumit. Et si quærat aliquis, quare etiam nunc accipientes indigne non infirmantur vel moriuntur, sicut tunc infirmabantur, et moriebantur, accipiat quod non dixit Apostolus omnes infirmari vel mori, sed *multi, inquit, fiunt infirmi, et multi moriuntur*. Et in primordio Ecclesiæ necessaria erant corporalia signa, nunc autem vera fides debet sufficere. Est et aliud, quia sicut scriptum est, *In fine sæculi erit sol sicut saccus silicinus (Apoc. vi, 12)*, id est Ecclesia in luctus amaritudine sine miraculorum coruscatione, ut probati manifesti fiant. Et quia quidam corriguntur communicantes simpliciter, licet postea peccent ut Petrus: quidam tolerantur maligne communicantes, ut Judas qui suis homicida existens, exitiabili exitu demonstravit quid anima patiatur nunc sine corpore, et quid æternaliter patietur cum corpore, quoniam in iudicium sibi divina mysteria manducavit et bibit. Et quod subjungit, *Si nosmetipsos dijudicemus, non utique iudicaremur (I Cor. xi, 31)*, hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non a Domino

A iudicaremur, id est condemnaremur. Et ideo sacri canones sanxerunt, ut ad iudicium sacerdotale removeantur vel resocientur peccantes sacro altario, dicente Domino ad leprosos, qui præsignabant lepra peccatorum in Ecclesia nunc perfusos, *Ite, ostendite vos sacerdotibus (Luc. xvii, 14)*, ut secundum quod viderint magnitudinem vel multitudinem peccatorum in peccantibus, et consideraverint illorum dignam satisfactionem, ita et absque personarum acceptione tempora constituent pœnitendi et reconciliandi eos, ne in iudicium et condemnationem sumant quod Dominus ad redemptionem et salutem credentibus contulit. At si peccator tardus ad recognoscendum, negligens ad id quod peccavit pœnitendum, et confitendum, atque satisfaciendum exstiterit, episcopalis cura eum commone dissimulandum non ducat, memor sententia sibi dicentis: *Si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam (Prov. vi, 1)*, id est si animam fratris in periculo tuæ conversationis acceperis, jam ligasti mentem apud curam sollicitudinis, quæ ante deerat quam pastorale officium sumeres: illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus, quidum commissis tibi cogere bona prædicando dicere, te ipsum prius necesse est quæ dixeris custodire. *Fac ergo quod dico, fili mi, et te ipsum libera; quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum (ibid., 3)*: non tantum ipse benevivendo vigilare memento, sed et illum cui præce a peccati torpore prædicando disjunge. *Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ (ibid., 4)*. Somnum dat oculis qui subditorum curam omnino negligit: dormitat autem, qui quidem reprehensibilia eorum gesta cognoscit, sed hæc propter mentis tædium digna invectione non corrigit. *Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de insidiis aucupis (ibid., 5)*. Quantum avis de laqueo, vel damula de manu captantis quærit evadere, tantum nitere ut auditore tuo salubriter instituto, ipse absponsione vitæ ejus liber reddaris, ne non pastor sed mercenarius denoteris, si quemlibet ad luxuriam pertrahi, aut ad avaritiam accendi, vel in superbiam erigi, aut per iracundiam dividi conspexeris, et accipiendo personam divitis, timens ne tibi iratus munus subtrahat, quod blandus impendebat, aut familiaritatis vel cujusquam temporalis emolumentis respectu tacens, pereuntibus animabus ipse de commodis terrenis læteris, non pastor, sed mercenarius in divinis oculis computris. Magis autem prædicet, et insta opportune, importune. Si autem te, commentem secundum Evangelium, non audierit, regiam adi ut constringatur potentiam. Et si nec ita ad effectum causam perduxeris, juxta divinam præceptionem de commone, nuntia Ecclesiæ: si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: ne dissimulans, aut negligens arguas, sicut Ileri sacerdos filios suos peccantes in Deum, ne amari essent hominibus, cum eo pereas. Unde constat, quoniam nulli est contra Deum peccata

dum, ut et nobis et illi parcamus salubriter, A ingenter non parcimus, sequentes pro modulo quantum Dominus dederit, beatum Ambrosium non parcendo Theodosio, et illi meritum e coram Domino, et sempiternum memoriale e coram hominibus, ut et de eo scriptum intellegat, *Memoria justis cum laudibus* (*Prov. x, 7*), vit, Nec perfunctorie episcopis, et regibus, et is potestate humana præditis, audienda est ia beati Gregorii ad Brunichildem reginam, ait (*lib. ix, epist. 64*): « Non enim, inquiens, abunda sunt quæ dicimus, quoniam 650 qui ure potest peccata, et negligit, participem se lubio delicti constituit. Providete ergo animæ providete nepotibus, quos cupitis regnare, providete provinciis, et priusquam creator B suam ad feriendum excutiat, de correctione studiosissime cogitate, ne tanto postmodum feriat, quantum modo diutius exspectat. » Et quæcunque persona ori divino inobediens ur, præmisso ordine ab Ecclesia expellenda e et ipsa expulsio, miserante Domino, poterit id salutem, sicut beatus Augustinus in libro de ione et Gratia dicit (*cap. 15*): « Corripiantur, a præpositis suis subditi fratres correptione le charitate venientibus, pro culparum diversis, vel minoribus, vel amplioribus, quia quæ damnatio nominatur, quam facit episcoplicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est, si Deus voluerit, ad correctionem saluberedere atque proficere. Neque enim scimus C uttingat sequenti die, aut ante finem vitæ hu aliquo desperandum est, aut contradici Deo ne recipiat et det pœnitentiam, et accepto io spiritus contribulati cordisque contriti, a uamvis justæ damnationis absolvat, damna ipse non damnet. Pastoralis tamen necessi et, ne per plures serpent dira contagia, se ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil ossibile ipsa forsitan separatione sanandam. » rtassis, quod absit, talis emergerit, qui su terrenæ potestatis elatus despiciat obedire, o Christianitatis freno per præcipitia in ban damnationis excenrrat, habebit episcopus, zechielem prophetam, ad liberationem suam aem ferream (*Ezech. iv, 3*), id est zelum cha rventem, et beati Ambrosii memorandam D iam. Ait enim in Epistola ad Corinthios: rbiam, inquiens, illorum in tantum humiliat Paulus dicens: *Et vos inflati estis, et non manu habuistis, ut tolleretur de medio vestrum opus fecit* (*I Cor. v, 2*), ut non querulos jam, gis simplices faciat; erant enim et ipsi pardum paterentur tam ingentis facinoris secum ptum convenire, ut omnes uno concilio abjsum, si negaret emendare se. Si autem quis tem non habet quem scit reum abjicere, aut non valet, immunis est, et iudicis non est cusatore damnare: quia et Dominus Judam,

cum fur esset, quia non est accusatus, minime abjecit. » Et sanctus Spiritus per dignum et sibi placitum organum, beatum videlicet Benedictum, dicit: Tantumdem iterum erit rector liber, ut si inquieto et inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis ovium actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum propheta Domino: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi. Ipsi autem contemnescentes spreverunt me* (*Psal. xxxix, 11*), et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors.

651 INTERROGATIO XIV ET RESPONSIO.

De sacramenti autem proposita questione, beati Gregorii verba ex libro *Moralium* trigesimo tertio (*cap. 47*) relegantur. Ait enim: « Ecce quidam, dum mundi hujus amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi vitam ducenti, quod secreta illius omni silentio contegat, se jurejurando constringit. Sed is, cui juratum est, adulterium perpetrare cognoscitur, ita ut etiam maritum adulteræ occidero conetur: is autem qui jusjurandum præbuit ad mentem revertitur, et diversis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silendo adulterii simul et homicidii particeps fiat, et prodere trepidat, ne reatu se perjurii obstringat. Perplexis ergo testiculorum nervis ligatus est, qui in quamlibet partem declinet, metuit ne a transgressionis contagio liber non sit. » Et post pauca: « Est tamen quod ad destruendas versutias utiliter fiat, ut cum mens interminora et maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia et qui murorum undique ambitu ne effugiat clauditur, ibi se in fuga præcipitat, ubi brevior murus invenitur. » Et venerabilis presbyter Beda in homilia Evangelii secundum Matthæum, quod describitur Herodis incauta juratio, ita dicit: « Quantum vero, inquiens, temeritatem jurandi vitare debeamus, et ipse in Evangelio Dominus, et Jacobus in epistola sua docet, dicens: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, ueque aliud quodcunque juramentum: sit autem sermo vester, Est, est, Non, non, ut sub iudicio decilatis* (*Jac. v, 12*); illo videlicet iudicio sub quo decidit Herodes, ut vel pejerare, vel perjurium cavendo aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid forte nos incautius jurasse contigerit, quod observatum scilicet pejorem vergat in exitum, libere illud in consilio salubriore mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Denique juravit David per Dominum occidere Nabal virum stultum et impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent demoliri: sed ad primam intercessionem Abigail femine prudentis, mox remisit minas, revocavit onsem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit (*I Reg. xxv*). Juravit Herodes dare

saltatrici quodcunque postulasset ab eo, et ne perjurus diceretur a convivis, ipsum convivium sanguine polluit, dum prophetæ mortem saltationis fecit præmium (*Marc. vi*). Non solum autem in jurando, sed in omne quod agimus, hæc est moderatio solertius observanda, ut si talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum notius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpeusuros esse cernamus : et juxta exemplum **652** eorum qui hostilibus clausi muris dum evadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, ubi muro existente breviora minimum periculi cadentes incurrant. » Et in concilio Hilerdensi (*can. 7*) decernitur : « Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullomodo redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis et sanguinis Domini segregatus, reatum suum elemosynis ac fletibus, et quantis potuerit jejuniis absolvat ; ad charitatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter redire festinet. »

Et quoniam hujusmodi de sacramento voluerunt interrogare quærentes, non abs re forte putavimus de talibus scribere, quæ solent in humana fragilitate accidere : neque ea quæ scribimus in quemquam impingimus, sed si talis exstiterit, quem hoc consilium adjuvare potuerit, memores Scripturæ dicentis : *Quod supererogaveris reddam tibi (Luc. x, 35)*, de hoc quod non sumus interrogati, ut quilibet noverit quid anceps inter duo eligere debeat, adjungendum putavimus. Non enim facile modo quisquam reperiet, imo nec quemquam quisque reperiet, qui David sanctior, Salomone sapientior, Samsone sit fortior, et illi, amore muliebri capti, quoniam etiam mentes ferreas libido domat, nec pannos pauperum perhorrescens, nec regum purpuram pertimescens, talia egerunt quæ non convenerant : et ad nos sæpe feminæ veniunt, reclamantes, quod juvenuli eis suam fidem promiserint, easque derisas reliquerint. Et interdum a nobis repertum est, quia viri legitimas reliquerunt uxores, et adulteris, ut servarent fidem pollicitam, adeo cohæserunt, ut cum multis laboribus ab eis quiverint sperari. De quo negotio beatus Augustinus in libro de bono conjugali (*cap. 4*) dicit : « Huc, inquit, accedit, quia in eo ipso quod sibi invicem conjuges debitum solvunt, etiam si id aliquanto intemperantius et incontinentius expetant, fidem tamen sibi invicem debent, cui fidei tantum juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellaret dicens : *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir ; similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier (I Cor. vii, 4)*. Hujus autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporis et abjectis magnum animi bonum est, et ideo

cam saluti quoque corporali, qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi. Et enim exigua palea pro multo auro pene res nulla est, fides tamen cum in negotio paleæ sicut in auro sincera servatur, non ideo minor est quia in re minore servatur. Cum vero ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est. Verum tamen qualiscunque sit, si et contra ipsam pejus sit, nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem ac legitimam redeatur, id est, ut peccatum emendetur voluntate pravitate correctâ. Tanquam si quisque, cum hominem solus exspoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, et cum eo conciscatur, ut simul id faciant, spoliūque partiant, quod facinore commisso totum solus auferat, dicitur quidem ille, sibi et fidem servatam non esse conquiritur : verum in ipsa querela cogitare debet, potius in bona vita ipsi humanæ societati fuisse servandam, ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quam inique sibi in peccati societate servata non fuerit. Ille quippe utrobique perfidus, pro peccato sceleratior judicandus est reus qui si ideo cum participante facinoris prædam dividere nolisset, ut homini cui ablata fuerat redderetur, eum perfidum nec perfidus diceret. Ita mulier, si fide conjugali violata fidem servat adultero, utique mala est, sed si nec adultero, pejor est. Porro si eam flagitii pœniteat, et ad castitatem rediens conjugalem pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit. Quod æque intelligendum est de adultero, quia si pactum cum adultera factum rescindit, nec ipsa adultera eum fidei violatorem juste dicere poterit. »

INTERROGATIO XV.

De hoc quod interrogatum est, si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt feminæ quæ maleficio suo inter virum et uxorem odium irreconciliabile possint mittere, et inenarrabilem amorem iterum inter virum et feminam serere : et de cæteris quæ hinc ad quæstionem voluerunt querentes deducere.

RESPONSIO.

Relegant historiam libri Regum post peccatum David in Bethsabee uxorem Uriæ, qualiter suggestionem diaboli filius ipsius David Amnon adamavit sororem suam Thamar, et consilio Jonadab figuram tenentis diaboli per Evam consilio peccandi occidentis Adam, concubuit cum eadem sorore sua. Quam tantum ante concubitum dilexit, ut deperiret in eam valde, et ægrotaret propter amorem ejus ; post concubitum autem, exosam eam habuit odio magno nimis, ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat : quæ diabolica operatio per fratricidium ad alia etiam mala, quæ ibidem lectores inveniunt, decurrit (*II Reg. xiii*). Et beatus Ambrosius, psalmi centesimi decimi octavi versus (92) exponens : *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perissem in humilitate mea*, loquens de Joseph

ante immissiones per angelos malos, dicit ad A
: « Fertur, inquiens, prophetæ cuidam, et ple-
luerunt quod -Isaia in carcere posito, cum
imminentis urgeretur exitii, dixisse diabo-
654 Dic quia non a Domino locutus es quæ
, et omnium in te mentes affectusque mu-

et in parochia cujusdam nostrum quod nar-
acciderat : quoniam quidam nobilis genere
non ignobilem natione feminam adamavit,
a parentibus puellæ legaliter expetens, apud
i petio ejus prævaluit, sed puellæ mater
m petitionem omnimodis refutavit : pater ve-
rd raro solet contingere, in juvenis precibus
ido prævaluit, qui post desponsationem, et
itulum, ac nuptiarum celebritatem, puellam B
i cubiculi introducens, nullo modo cum ea
nberere ex more prævaluit, et cum irremediabili
ædiosam vitam per biennium ducerent, ad
pum, quia aliud jam inde consilium inveniri
terat, hinc necessitate cogente concursus est,
urbis suasoriis, peccatoriis ac minatoriis, quia
mitteret dissolvi conjugium, ipse porri-
ladium, quo fieret, si aliter dissolvi non pote-
micidium. Isdem autem episcopus, inter alia
am de talibus Satana faciente sæpe cribratus,
nemoriam reducens quod dicit Dominus per
tam : *Filii hominis, perfode parietem, et vide
ationes quas faciunt isti hic. Et cum perfodis-
rietem, apparuit foramen (Ezech. viii), et re-
que ibi leguntur, de placito ad placitum, de
one ad diffinitionem per frequentes tracta C
vitavit, usque dum operationes diabolicæ Dei
dissolutæ sunt, et concubitus in anteriore
vina cum delectatione passibilis, et cum lega-
rtita impossibilis, post pœnitentiam et medi-
ecclesiasticam, juveni est cum uxore possi-
dditus, et, fugato odio diabolico, conjugalis
inter conjuges integratus, nunc usque cum
amore perseverat, atque conjugati sobole
osa congaudent.*

æ est fabulas nobis notas referre, et longum
rilegia computare, quæ ex hujusmodi de ossi-
ortuorum, atque cineribus carbonibusque ex-
s, et de capillis atque pilis locorum genitalium
n ac feminarum, cum filulis colorum multi-
a, et herbis variis, ac cocleolis et serpentium D
his composita, cum carminibus incantata de-
tes comperimus, quibus homines liberati, et
otione ecclesiastica medicati, gratia conjugali
ito naturali perfuncti sunt. Quidam etiam ve-
carminatis induebantur, vel cooperiebantur,
tu, alii autem cibo a sortiariis dementati, alii
antum carminibus a strigis fascinati et quasi
s effecti reperti sunt : quidam autem a lamiis
nicialibus feminis debilitati, quædam etiam
a Dusii in specie virorum, quorum amore
nt, concubitus pertulisse inventæ sunt ; quos
s divina potentia, compressis et abjectis

phantasmatibus diabolicis, per exorcismos et anti-
dota catholica restituit sanitati.

Sunt et alia quæ nos dirimere ac judicare neces-
sitas compulit, 655 quæ propter nefariam turpitu-
dinem dicere nolumus : et sunt hujusmodi scelerata
atque facinorosa, quæ ut ad notitiam malignorum,
qui forte ea ignorant, pervenire non valeant, hic
scribere supersedimus. Sunt præterea et tam imma-
nia diabolicæ operationis portenta per magicam
artem facta, quæ ad nos pervenerunt, ut credendi
modum excedant. Sed non est mirum si in istis
temporibus ultimis talia Antichisti adventum præ-
currentia veniunt, qualia Dominus et apostoli ejus
ventura descripserant, de quibus et Paulus dicit :
*Nam mysterium jam operatur iniquitatis secundum
operationem Satanæ in omni potestate, et signis, et
prodigiis mendacii (II Thess. ii, 7)*; et item : *Spiritus
autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus
recedent quidam a fide, attendentes spiritus fal-
laces, doctrinas dæmoniorum (I Tim. iv, 1)*. Hæc au-
tem vanitas magicarum artium ex traditione an-
gelorum malorum in toto terrarum orbe, auctore
Zoroastræ rege Bactrianorum, quem Ninus rex As-
syriorum prælio interfecit, et propagatore Demo-
crito, plurimis sæculis valuit. Sed apud Assyrios
exculta per multos diabolicos viros fuit, quorum in-
tantum prodire maleficiorum artes, ut etiam, sicut
supra diximus, Moysi simillimis signis resisterent,
vertentes virgas in dracones, aquam in sanguinem
(Exod. vii). Et eorundem maleficiorum una impie-
tas, ut diversitate artium, ita et diversitate nomi-
num constat, sicut et pagani doctores, et etiam
Christiani referunt. Unde plura omittentes, quædam
commemoramus. Magi sunt, qui vulgo malefici ob
facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi et ele-
menta concutiunt, turbant mentes hominum, ac sine
ullo veneni haustu, violentia tantum carminis inte-
rimunt. Necromantii sunt, quorum præcantationi-
bus videntur resuscitati mortui divinare, et ad inter-
rogata respondere. Hydromantii sunt, qui in aquæ
inspectione umbras dæmonum evocant, et imagines
vel ludificationes eorum ibi videre, et ab eis aliqua
audire se perhibent. Incantatores, qui artem verbis
peragunt. Arioli, qui circa aras idolorum nefarias
preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt, his-
que celebritatibus dæmonum responsa accipiunt.
Aruspices, qui horas in agendis negotiis et operibus
custodiunt, qui exta pecudum et fibras atque spa-
tulas, vel cætera quæque inspiciunt, et ex eis futura
prædicunt. Augures sunt, qui volatus avium et voces
attendunt, quorum unum genus ad oculos, id est
volatus avium, alterum ad aures, id est vox avium
pertinet. Sunt et pythonissæ, quæ et ventriloquæ ;
sunt et astrologi, eo quod in astris augurentur.
Sunt et qui dies natalium considerant, et qui side-
rum cursum in nascentibus observant, qui vulgo
mathematici vocantur. Sunt et horoscopi, qui horas
nativitatis speculantur dissimili et diverso fato. Sunt
et sortilegi, qui sub nomine fictæ religionis, per

quasdam quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. ¶ Sunt et qui de saltu membrorum, dum eis aut oculi aut cujuscunque membri pars salierit, aliquid sibi exinde prosperum aut triste significari prædicunt. Sunt et præstigiatores, qui alio nomine obstrigili vocantur, quod præstringant vel obstringant humanorum aciem oculorum, sicut isti qui de denariis quasi joculari dicuntur, quod omnino diabolicum est : et sicut legimus, primum diabolus hoc per Mercurium prodidit, unde et Mercurius inventor illius dicitur, quod diabolicum opus nemo Christianus sine peccato ante se agere permittit, vel si ei potestas in illo est qui talia agit, sine vindicta dimittit. Ad hæc omnia pertinent et ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, sive in præcantationibus, sive in characteribus, vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis, vel quibuscunque mensuris mensurandis : et quas superventas femine in suis lanificiis vel textilibus operibus nominant; in quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda sunt ab omni Christiano, et omni penitus execratione repudianda atque damnanda. Sunt etiam et qui dicant, quando in venationem pergunt, quod obvium sibi non debeant habere clericum. Sunt et qui faciunt canes ad truncum latrare sicut ad bestiam. Sunt et qui observant dies in motione itineris, et in inchoatione ædificandæ domus; quod pro tam magno peccato Paulus duxit apostolus, ut diceret : *Dies observatis, et annos, et menses : timeo ne sine causa laboraverim in vobis (Gal. iv, 10)*; et Dominus in Evangelio dicit : *Similiter sicut factum est in diebus Lot, edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant (Luc. xvii, 28)*. Et prætermissio illo maximo et infando Sodomorum scelere, sola ea quæ levia vel nulla putare poterant delicta commemorat, ut intelligas illicita quali pœna feriuntur, si licita, et ea sine quibus hæc vita non ducitur, immoderatus acta, igne vel sulphure puniuntur.

Merito ergo beatus Augustinus, visis noxiæ consuetudinis illecebris, ac justo dolore commotus exclamat : *Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata inhorrescimus, usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciunt regnum Dei, sæpe vitando omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur; atque utinam, o Domine! non omnia, quæ non potuerimus prohibere faciamus!* Sciendum est etiam quia, sicut in doctorum verbis legimus, sunt dæmones qui quasi specialiter specialibus intendentes vitiis, cum in omnibus delectentur, ad ea quibus præsent homines quasi specialiter provocent. Quapropter et de Maria, quæ erat in civitate peccatrix, Marcus evangelista Dominum septem dæmonia ejecisse

commemorat (*cap. 16*), ut ubi abundavit peccatum, superabundasse gratia monstraretur. Septenarius namque numerus pro universitate solet mystice poni. Ergo a septem dæmonibus curata, hoc est, ab universis liberata ¶ 57 sceleribus debet intelligi. Unde inter cæteros dæmones vitiorum magistros legimus de Mammona, de quo Dominus dicit, *Non potestis Deo servire et Mammonæ (Matth. vi, 24)*, quia qui servi Mammonæ, id est divitiis, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus est, et magistratus hujus sæculi a Domino dicitur : et de eo genere dæmonum, qui in fervore iracundiæ, vel qui in voluptatem carnis resolvit per delicias, vel certe in ignem adulterii, quo adulterantium corda succensa sunt, et in aquas, quæ solent extinguere charitatem, invasum mittunt, quod non potest ejici nisi in oratione et jejunio. Et primum patentem nostrum, sicut notum est, antiquus hostis gula, vana gloria, et avaritia tentavit, ac tentando superavit, quia sibi eum per consensum subdidit. Sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini tentato succubuit.

In psalmo quoque cantamus, *de sagitta volante in die (Psal. xc, 6)*, id est de sermone hæreticorum et philosophorum, qui sunt diaboli organa, et non possunt decipere, nisi lucem promiserint; et hoc genus dæmonum eos facile corrumpit qui suas negligunt actiones, et alienas curantes, extra habitum atque extra ordinem proprium vagantur, et se curis exterioribus immoderatus implicant. Et adeo deceptam mentem talium per vanas spes ducit, ut ab intentione pœnitentiæ suspendatur, ostendens illi plures per lata et spatiosa gradientes, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, et tunc plenius obruatur suppliciiis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. De negotio etiam perambulante in tenebris, videlicet de præposito negationis atque mendacii, de incursu videlicet præcipitationis atque timoris, et dæmonio meridiano, accidit scilicet, quod facit fervorem cœptæ devotionis tapascere, vel hæreticos simulationis rectæ intentionis et operum lucis ambitionis amore ardere, de qua genere dæmonum scriptum est : *Sub umbra, inquit, dormit, in secreto calami, in locis humentibus (Job xi, 16)*. In umbra, videlicet tenebrosas conscientias, in calamo, qui foris nitidus intus est vacuus, simulat, in locis humentibus, lascivas mollesque mentes insinuat. Quodque genus dæmonum exiens ab hmine baptismatis tempore, vel post pœnitentiæ fructus et reconciliationis gratiam, vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et veniens ad dæmonum illam unde exierat, eam invenit vacantem, scopis mundatam, et ornatam (*Luc. xvi, 26*), mundatam videlicet a vitiis pristinis per baptismum vel pœnitentiam, vacantem a bonis actibus per negligentiam, ornatam simulatis virtutibus per hypocrisiam, ipsi et ab eo assumpti nequiores spiritus ingressi habitant ibi. Per septem enim malos spiritus universa vitia designantur. Quemcunque enim post baptismum, sive

hæretica, sive mundana cupiditas arripue-
t omnium prosternet in ima vitiorum. Unde
quiiores tunc eum spiritus dicuntur ingressi,
n solum habebit illa septem vitia, quæ sep-
ritalibus sunt contraria virtutibus, sed et per
sin 658 ipsas se virtutes habere simulabit.
modo in Isaia (cap. xi), super virgam de ra-
sse, et florem qui de radice conscendit, sep-
ritus virtutum descendisse narrantur, ita et
ario vitiorum numerus in diabolo est conse-

et alia etiam genera dæmonum, quos legi-
per singulis vitiis ab eorum principe consti-
tue hic adnotare omittimus. Tantum de dæ-
is qui super fornicationem sunt adnotare cu-
monstraturi quoniam talia sunt etiam genera
um, qui tantum in fornicationibus delectan-
etiam humanum concubitus expetant : de
aliqua nostri temporis acta dicere poteramus,
brevitatis compendio transiremus. Et ut me-
od dicimus credi possit, legant quicumque de
dubitant, quod sanctus Amphilochius, Ico-
civitatis episcopus, quem beatus Hieronymus
de Viris illustribus debita veneratione com-
at, inter virtutes mirandi Basilii Cæsareæ
lociæ civitatis episcopi scribit dicens : « Ella-
stem, ipsius sanctissimæ memoriæ visor et
r factus ab eo perfectorum miraculorum, et
sor sedis post obitum jam dictæ memoriæ
ficæ Basilii, vir mirabilis, et in omni virtute
tus, enarravit mihi quia senator quidam fi-
omine Proterius, abiit ad sancta et venera-
ca, et ibi filiam suam consecrare, ac in uno
actionalibus domibus monasteriorum mit-
tque sacrificium Deo offerre volens. Sed ab
omicida diabolus, invidens divinæ voluntati,
unum de servis suis, et incendit ad puellæ
n. Is autem cum fuisset hujusmodi inchoatio-
ignus, et non audens appropinquare ad pro-
n, alloquitur unum abominandorum incanta-
promittens se, si meruerit dominari ipsius
, multam ei tribuere auri quantitatem. Male-
ro dixit ad eum : O homo, ego in istud non
eo, sed si vis mitto te ad meum procuratorem
um, et ipse perficiet tuam voluntatem. Qui
rum : Quæcunque dixeris mihi faciam. Et ait
n : Abrenuntias Christo in scripto ? Dixit ei :
Iniquitatis autem operator dicit ei : Si in-
ratus exstiteris, cooperatores sumus. Qui ait ad
Paratus sum, tantum consequar desiderium.
ens malignitatis minister epistolam ad diabo-
lino ad illum habentem sensum istum : Quo-
quidem, mi domine et procurator, oportet
re me a Christianorum religione abstrahere,
adducere voluntati, ut multiplicetur pars
isti tibi hunc qui præsentem meas defert litteras,
tate in puellam exarsum, et postulo eum ac-
i istam consequi, ut et in isto glorier, et cum
alacritate congregem placitores tuos. Et dans

A ei epistolam dixit : Vade secundum talem horam
noctis, sta super monumentum gentilis, et exalta
chartam in aere, et astabunt tibi qui debent ducere
te diabolo. Qui alacriter hoc faciens, jactavit miseram
vocem invocans diaboli auxilium. Et continuo astite-
runt 659 ei principes potestatis tenebrarum spiri-
talia nequitiae, et apprehendentes errantem cum
gaudio magno, duxerunt eum ubi erat diabolus, et
ostenderunt ei ipsum sedentem in sede alta, et in
circuitu ejus malignitatis spiritus stantes, et susci-
piens missas a malefico litteras dixit ad miserum :
Credis in me ? Qui ait : Credo. Et : Negas Christum
tuum ? Qui respondit : Nego. Dicit ei diabolus : Per-
fidi estis vos Christiani, et quando quidem opus me
habetis, venitis ad me ; quando quidem consequimini
desiderium vestrum, negatis me, et acceditis ad
Christum vestrum, qui est benignus ac clementissi-
mus, et suscipit vos. Sed fac mihi manuscriptam
Christi tui et baptismatis abrenuntiationem volunta-
riam, et quæ in me est in sæcula voluntariam pro-
fessionem, et quia mecum sis in die judicii conde-
lectans mihi in præparatis æternis tormentis. et ego
statim desiderium tuum adimpleo. Qui disposuit
propria manu scriptum sicut quæsitus fuit. Statim
autem animarum corruptor draco tortuosus misit
qui sunt super fornicationem dæmones, et inflama-
verunt puellam in amorem juvenis, quæ prospici-
ens in terram cœpit clamare ad patrem : Miserere
mihi, miserere, pater, quia dire torqueor propter
talem istum nostrum puerum : miserere visceribus
tuis, ostende in me unigenitam tuam paternum
amorem, et conjunge me puero quem amo. Si au-
tem hoc non vis facere, videbis me post modicum
morientem amara morte, et sermonem dabis pro
me in die judicii Deo. Pater autem cum lacrymis
dicebat : Heu mihi peccatori, quid convenit miseræ
meæ filiæ ? quis meum thesaurum furatus est ? quis
meam iniquavit filiam ? quis dulce lumen oculorum
meorum exstinxit ? Ego cœlesti te volebam nubere
sponso Christo. et angelorum cohabitricem con-
stituere, et in psalmis, et hymnis, et canticis spiri-
tibus canere Deo festinabam, et per te salvari
sperabam, tu autem in amorem lascivietatis insa-
nisti ? Sine me, sicut volo, desponsare te Deo, non
ducas senectutem meam cum tribulatione ad inferos,
neque nobilitatem parentum tuorum confusione
operias. Illa autem, ad nihilum reputans quæ a pa-
tre dicebantur, instabat clamans : Pater mi, aut fac
desiderium meum, aut post modicum morientem
videbis me. Pater ergo in magna defectione factus,
ac immensurabilitate tristitiæ absorptus, et amico-
rum consiliis credulus, hortantium ei deferre vo-
luntatem ejus, aut seipsam exponere, concredens
pater præcepit fieri desiderium puellæ, ne exitiali se
traderet morti. Et adduxit quæsitum puerum ad
propriam filiam, dansque eis omnem substantiam
suam dixit filiæ suæ : Vale, filia vere misera ; multum
enim planges pœnitens in novissimo quando nihil
habes proficere. Iniquo ergo conjugio facto, et dia-

bolica facinorositate completa, ac modico transeunte tempore, designatus est a quibusdam puer non introire in ecclesiam, neque appropinquare immortalibus et vivificis mysteriis. Et dicunt miseræ conjugi ejus : Scis quia vir tuus, quem elegisti, non est Christianus, sed peregrinus fidei et alienus? Tenebrarum ergo et dolorosæ plagæ repleta, prosternit se in humum, et cœpit discerpere seipsam unguis, et percutere pectus ac clamare : Nemo non obediens parentibus salvus fuit unquam. Quis annuntiabit patri meo meam confusionem? Heu mihi miseræ, in quantam profunditatem perditionis descendi! Cur nata sum, et nata continuo raptâ non fui? Ista ergo lamentari eam discens erratissimus vir ejus, accurrit ad eam contendens non haberi ita veritatem. Illa autem in consolationem veniente suadibilibus ejus sermonibus, dixit ad eum : Si vis satis mihi facere et miseræ animæ meæ, crastina ego et tu unanimiter eamus ad ecclesiam, et coram me participa incontaminatorum mysteriorum, et sic satisfacta ero. Tunc coactus dixit ei sententiam capituli. Continuo ergo deponens illa muliebrem infirmitatem, et consilium bonum consilians illi, currit ad pastorem et discipulum Christi Basilium, adversus impietatem clamans : Misere mihi miseræ, sancte Dei, misere mihi, discipule Domini, quæ cum dæmonibus causam egi; misere mihi miseræ proprium patrem non obaudienti. Et docet ei rerum gestarum ordinem. Sanctus autem Dei vocans puerum, sciscitatus est ab eo si ista in hunc modum se habent. Qui ad sanctum cum lacrymis ait : Etiam, sancte Dei, si ego siluero, opera mea clamabunt, et enarrat ei etiam ipse a principio usque ad finem consequentem diaboli malam operationem. Tunc dicit ei sanctus : Vis reverti ad Dominum Deum nostrum? Ad quem puer : Utique volo, sed non valeo. Dicit ei : Quare? Respondit puer : Scripto abnegavi Christum, et professus sum diabolo. Dicit ei : Non sit tibi curæ, benignus est Deus noster, et recipiet te pœnitentem; compatitur enim malitiis nostris. Et jactans se puella ad pedes sancti, evangelice deprecata est eum dicens : Discipule Christi Dei nostri, quantum potes adjuva nos. Dicit ad puerum sanctus : Credis salvari? Qui ait : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Et continuo apprehendens manum ejus, faciensque Christi signum in ipso et orans, reclusit eum in uno loco interioris sacri periboli. Et dans ei regulam, collaborabat ei per tres dies. Post quos visitavit eum, et dicit ei : Quomodo habes, fili? Dicit ad eum : In magna sum, domine, defectione, sancte Dei, non fero clamores eorum et terrores, ac jaculationes seu lapidationes eorum. Tenentes manuscriptam meam, causantur me dicentes : Tu venisti ad nos, non nos ad te. Et dicit ei sanctus : Noli timere, fili tantum crede; et dans ei modicam escam, faciensque super eum Christi iterum signaculum ac orans, reclusit eum. Et

A post paucos dies visitavit eum, et dicit : Quomodo habes, fili? Dicit ei : Pater sancte, a longe clamores eorum audio et minas, sed non video eos. Et iterum dans ei escam et orans, claudensque ostium abiit. Et quadragesimo die rediit, et dicit ei : Quomodo habes, frater? Respondens dicit ad eum : Bene habeo, sancte Dei. Vidi enim te hodie in visu pugnans pro me, et vincentem diabolum. Mox ergo sanctus secundum consuetudinem faciens orationem, eduxit eum, et adduxit in dormitorium suum. Mane autem facto vocavit sacrum clero, et monasteria, et omnem Christo amabilem populum, et dixit eis : Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agatis Domino. Ecce enim ovem perditam debet pastor bonus in humeris reportare et offerre Ecclesie. Quapropter debitum est et nos vigiliam facere nocte, ac postulare ejus benignitatem, ut non vincat corruptor animarum etiam in hoc facto. Et alacriter populo coaggregato, per omnem noctem postularunt Deum cum bono pastore, cum lacrymis clamantes pro eo : Kyrie, eleison. Et mature cum omni multitudine populi accepit sanctus puerum, et tenens dexteram manum ejus, ducebat illum in sanctam Dei ecclesiam cum psalmis et hymnis. Et ecce diabolus omnium fascinans in tristem vitam, cum omni perniciose virtute advenit, et invisibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de manu sancti. Et cœpit clamare puer : Sancte Dei, adjuva me. Et tanta improbus instantia aggressus est, ut etiam memorabilem virum compelleret, trahens puerum. Conversus ergo sanctus ad diabolum, dixit : Improbissime, et animarum corruptor, pater tenebrarum et perditionis, non sufficit tibi tua perditio, qua te et eos qui sub te sunt affecisti, nisi etiam Dei mei tentes plasma? Diabolus autem dixit ad eum : Præjudicas me, Basili. Ita ut plurimi nobis audirent voces dæmonum hæc dicentium, clamante populo : Kyrie, eleison. Sanctus autem Dei ait ad eum : Increpat te Dominus, diabole. Qui respondens ait ad eum : Basili, præjudicas me, non ego ad eum, sed ipse venit ad me. Abnegavit Christum, et professus est mihi. Et ecce manuscriptum habeo, et in die iudicii ad communem judicem eum duco. Sanctus Dei dixit : Benedictus Dominus Deus meus, non deflectet populus iste manus de altitudine cœli, donec reddas manuscriptum. Et convertens se dixit populo : Erigite manus vestras in cœlum, clamantes cum lacrymis : Christe Kyrie, eleison. Et stante populo in horam multam extensas habente manus in cœlum, ecce manuscripta pueri per aerem delata, et ab omnibus visa venit, et imposita est manibus memorabilis nostri Patris et pastoris. Suscipiens autem eam, et gratias agens Deo, gavisus factus est valde, et coram omni populo dixit ad puerum : Cognoscis litterulas has, frater? Qui ait ad eum : Etiam, sancte Dei, manuscripta mea est. Et disrumpens manuscriptam sanctus. Basilius, perduxit eum ad ecclesiam, et dignum fecit sancto mi-

et communionem mysteriorum et munerum
Et faciens susceptionem magnam, refrigeram
populum, et ducens puerum ac instruens,
ei regulam decentem, reddidit eum mulieri
sibili ore glorificantem et laudantem Deum.

erabilis presbyter Beda in tertio libro
Lucæ evangelistæ: *Interrogavit inquit,
nus dicens: Quod tibi nomen est? At ille
rgio, quia intraverant dæmonia multa in
: viii, 30*). Non velut inscius nomen inquit
confessa coram peste, quam furens tole-
tus curantis gratior emicaret. Sed et nostri
sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæ-
ficere norunt, solent dicere, patientes non
lere curari, nisi quantum sapere possunt,
od ab immundis spiritibus, visu, auditu,
doratu et tactu, vel alio quolibet corporis,
i sensu, vigilautes, dormientesve pertule-
stendo patenter exponant. Et maxime
vel viris in specie feminea, vel in virili ha-
inis apparentes, quos dæmones Galli Dusios
nfando miraculo spiritus incorporei corpo-
concupitum petere se ac patrare confin-
nomen dæmonis, quo se censi dixerit, et
i modos, quibus amoris sui fædus alter-
epigerunt, prodendos esse præcipiunt. Quæ
o simillima res, sed adeo vera, et plurimo-
statione notissima, ut quidam vicinus mihi
r retulerit se quandam sanctimoniam fe-
i dæmonio curare cœpisse, sed quandiu res
nihil apud eam proficere potuisse: confesso
uo molestabatur phantasmate, mox et ipsum
us, cæterisque quæ oportebat purificatio-
neribus effugasse, et ejusdem feminæ corpus
ibus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medi-
udio, adjuncto sale benedicto, curasse. Sed
im de ulceribus, quod altius lateri infixum
t, nullatenus posset quin continuo pandere-
icere, ab eadem ipsa, quam sanare volebat,
n quo sanaretur accepisse. Si, inquit, oleum
nis consecratum eidem medicamento asper-
que me perunxeris, statim sanitati resti-
m vidi quondam per spiritum in quadam
posita civitate, quam nunquam corporalibus
di, puellam quandam pari calamitate labo-
taliter a sacerdote curatam. Fecit ut illa
rat, statimque ulcus remedium, quod ante
it, accipere consensit. Hæc contra fraudes
m paucis explicare curavi, ut quam non
Dominus nomen ejus, quem expulsurus erat,
interrogarit, intelligas.

INTERROGATIO XVI ET RESPONSIO.

autem quod interrogatum est, quæ sit causa
s, ut dicitur, sæpe in legitimo conjugio per-
lia fieri, sciendum est quia ut a Deo insti-
onjugium bonum est, et omne peccatum non
ria natura subsistit; malum quippe sine sub-
est, quod tamen utcumque sit, in boni natu-

ra, ut supradiximus, coalescit, et peccatis exigenti-
bus, in bono conjugii malum sit operatione diaboli,
sicut Domini est terra, bona utique, ut a bono Deo
creata, et iniquitates sunt nostræ, sed sæpe nostris
iniquitatibus videmus et sentimus terram Do-
mini tabescentem, qui promisit iratus futuram nobis
terram ferream, et cælum æreum, et placatus da-
turum se nobis pluviam temporinam et serotinam
terræ, et quia cælum dabit pluviam, et terra dabit
fructum suum: non quo creaturarum immuletur
natura, sed quia meritorum distantia, irato vel pla-
cato Deo, exinde a nobis vindicta sentiatur vel
gratia. Et beatus Gregorius in libro secundo Mora-
lium (cap. 4) dicit: « Occulta, inquiens, justitia
Dei licentia malignis spiritibus datur, ut quos vo-
lentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœ-
nam etiam nolentes trahant. » Et Augustinus in li-
bro primo de Nuptiis et Concupiscentia (cap. 23):
« Qui miratur quia creatura Dei subditur diabolo,
non miretur. Subditur enim creatura Dei creaturæ
Dei, minor majori, quia homo angelo, nec tamen
propter naturam, sed propter vitium, quia immun-
dus immundo. » Quia et ipse diabolus spiritus im-
mundus est. Et utique bonum quod spiritus, malum
quod immundus: quoniam spiritus est natura, im-
mundus est vitio, quorum duorum illud a Deo est,
hoc ab ipso. Non itaque tenet homines, sive majoris
sive infantilis ætatis, propter quod homines sunt,
sed propter quod immundi sunt. Et in libro de Gra-
tia et libero Arbitrio (cap. 21): « Fixum enim, inquit,
debet esse et immobile in corde vestro, quia non est
iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in
litteris veritatis, a Deo seduci homines, ut obtun-
di vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præ-
cessisse mala merita eorum, ut juste ista pateren-
tur, ne incurritis illud proverbium Salomonis: In-
sipientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur
in corde suo. »

INTERROGATIO XVII ET RESPONSIO.

De eo siquidem quod interrogatum est, ut si forte
tales viri malefici, vel incantatrices feminæ inventæ
fuerint, quid de hujusmodi fieri debeat, sanctus Leo
scribens ad episcopos per universas provincias de-
monstrat (epist. 11, episcopis per Italiam): « Ali-
quanti, inquiens, malefici, qui ita se demerserant,
ut nullum his auxiliantis posset remedium subve-
nire, subditi legibus, secundum Christianorum prin-
cipum constituta, ne sanctum gregem sua contagione
polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio
relegati. » Et post aliquanta: « Aliter enim nobis
commissos regere non possumus, nisi hos, qui sunt
perditores et perdit, zelo fidei Dominicæ persequa-
mur, et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divu-
getur, severitate qua possumus abscidamus. Unde
hortor dilectionem vestram, obtestor, et moneo, ut
qua debelis et potestis sollicitudine vigiletis, ad in-
vestigandos eos, necubi occultandi se reperiant
facultatem. Ut enim habeat a Deo ingens remune-
rationis præmium, qui diligentius quod ad salutem

commissæ sibi plebis proficiat fuerit exsecutus, ita ante tribunal 664 Domini de reatu negligentiae se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire.»

Et sanctus Gregorius ad Cyprianum diaconum (lib. XII, *epist.* 13): « Vir sanctissimus Maximianus coepiscopus noster, Ecclesiam Dei pravis hominibus purgare desiderans, laudabiliter erga ecclesiasticorum vitam, sicut nosti, sollicitus fuit. Qui dum eorum actus vigilanter cura pastoralis intenderet, maleficio, quod vulgo canterma dicitur, quosdam didicit maculatos, quos etiam, sicut et dilectionis tuæ nuntiavit epistola, dedit in custodia retinendos. Sed quia peccatis nostris facientibus morte præventus crimen ipsum ulcisci non valuit, necesse est ut dilectio tua cum omni hoc subtilitate indagare festinet, atque ita in eos secundum immanitatem facinoris studeat vindicare, qualiter secundum leges supra scriptum episcopum zelo correctionis ac justitiæ in hac ultione propter Deum novit potuisse si viveret commoveri. Omni ergo virtute, omnique instantia, tua dilectio in hac causa zelum suum erga omnipotentem Deum curet ostendere, et inimicis illius adversitatem dignam inflictis ultionibus exhibere, ut impleat quod scriptum erat: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos suos tabescebam?* (Psal. CXXXVIII, 21.) Si igitur hoc zelo dilectio tua accenditur, in eos qui Deum reliquerunt, et contra eum maleficiis aliquid egerunt, pœna monstretur. Quod si recte ille exsequi non vales, nobis qui tales sunt transmitti debent, si tamen hic monstrari potuerit, unde illic possunt absque difficultate convinci. Sed quia hoc impossibile esse existimo, illic per te debet districta atque fortis correctio provenire. » Et ad Januarium episcopum Sardiniae (lib. VII, *ind.* 11, *epist.* 66): « Contra idolorum quoque cultores, vel aruspicum atque sortilegorum, fraternitatem vestram vehementius pastoralis hortamur invigilare custodia, atque publice in populo contra hujus rei viros sermonem facere, eosque a tanti labe sacrilegii, et divini intentione judicii, et præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria revocare. Quos tamen si emendare se a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus: et si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare; si vero liberi, inclusione digna districtaque in pœnitentiam sunt redigendi, ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem. » Et item in Edicto canonico (Greg. II, *in synod. Rom.*, c. 12): « Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit. » Et in concilio Ancyrano, capite vicesimo tertio: « Qui divinationes expectant, et more gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica vel expiandi causa, sub

A regula quinquennio jaceant secundum gradus pœnitentiæ diffinitos. » Ex concilio Bracarensi (I) capite 70. « Si quis paganorum consuetudinem sequens, divinos et sortilegos 665 in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut malefici inveniant, vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agat. » Et capite 71: « Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, et observare vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam pro domo faciendam, vel propter segetes, vel arbores plantandas, vel conjugia socianda. Scriptum est enim: *Omnia quaecumque facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo* (Col. III, 17). » Et cap. 72: « Non liceat in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino, et Oratione Dominica, ut tantum Deus creator omnium, et Dominus honoretur. » Et cap. 73: « Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donavit. » Et in concilio Carthaginensi (IV) cap. 39: « Auguriis vel incantationibus servientem a conventu Ecclesiæ separandum, similiter et Judaicis superstitionibus vel feriis inhærentem. » Et in libro primo de capitulis Augustorum (cap. 21: « Ut coclearii, malefici, incantatores fieri non sinantur, quos in Simone Mago terribiliter constat esse damnatos. » Et in concilio Eliberitano, capite sexto: « Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem. » Sciendum tamen est quia hæc districtiōnis severitas ex concilio Eliberitano erga eos qui non resipiscunt observari debet. Cæterum, juxta beati Cælestini decreta, nulli est recognoscenti ultima pœnitentia deneganda. Et sic Magnus Leo papa decrevit (*epist.* 59, *ad Theod. Forojul.*): « His qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio ac communionis gratia deneganda, si eam etiam amissæ vocis officio per indicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ita aliqua vi ægritudinis fuerit aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonio eis fidelium circumstantium prodesse debent, simulque et pœnitentiæ et reconciliationis beneficiam consequantur, servata tamen regula canonum pœnitentiarum circa eorum personas, qui in Deum discedendo peccarunt. Generaliter autem omni cui libet in exitu posito, et poscenti sibi communi gratiam tribui, non negetur, sicut Nicæna synodus definivit (can. 13). Cujus conversio mente potius æstimanda quam tempore, quoniam apud Deum nullas veniæ patitur moras vera conversio, Propheeta hoc pariter attestante: *Cum conversus ingemaverit, tunc salvus eris.* » Et in Nicæno concilio (can. 13):

n his omnibus propositum et speciem pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu, timoris, atque patientia, vel bonis operibus, reus conversionem suam, non simulatione deant.» Et post paululum : « Post-modum lice-scopo de his **CCC** aliquid humanius cogi-
Et in Ancyrano concilio (*can. 4*) : « Penes os, inquit, erit potestas, modum conversionis probantes, vel humanius erga eos agere, vel tempus adjicere. » Sed et quinto capitulo concilii, et in aliis sufficienter inde lector t. Et Innocentius papa ad Decentium Eugubiscopum scribit (*epist. 29*) : « De pœnitenti-
i sive ex gravioribus commissis, sive ex le- s pœnitentiam gerunt, si nulla interveuiat
lo, quinta feria ante Pascha eis remittendum
æ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum,
idere æstimando delictorum, sacerdotis est
e, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et
is atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere
cum viderit congruam satisfactionem. Sane
in ægritudinem inciderit, atque usque ad
tionem devenerit, ei est ante tempus Paschæ
idum ne de sæculo absque communione dis-
»

INTERROGATIO XVIII.

imo capitulo rescribi nobis deprecimur, si
la femina iterum in iudicium venerit, et in-
eperta fuerit, utrum ad eam vir ejus redire
an alteri valeat sociari. Et remandate nobis,
criminibus obnoxia, de quibus reputatur, in-
berit, utrum idem rex alteri feminae conjungi
Remandate etiam, si tales causæ reputatæ
et ipsi regi, unde publicam pœnitentiam
lebeat, postquam illa criminosa inventa fue-
um ipse rex post publicam pœnitentiam con-
legitimam possit accipere. Et remandate, si
legaliter rejecta, ipse etiam post actam pœni-
a, si voluerit, concubinam, quam habuit, et
ia post initum conjugium adulterasse dicitur,
ugem possit accipere?

RESPONSIO.

o quod interrogatum est, si sæpefata femina
in iudicium venerit, et innoxia reperta fuerit,
ad eam vir ejus redire debeat, an alteri valeat
, superfluum est iterare, quia supra ostendi-
rod si ante legaliter initum conjugium innoxia
lter nupta suo viro fidem servasse reperta
secundum evangelicam et apostolicam veri-
et leges ecclesiasticas, atque catholicorum
am, legitimum conjugium non valeat sepa-
si separati fuerint, aut innupti permaneant,
tuo reconcilientur. Sed ne iterationem quæ-
relinquamus inanem, de hoc quod reputata
uerit immunis inventa, Dominus per Moysen
libro Deuteronomii : *Si invenerit vir puellam*
m, et sequentia usque dum dicitur, non pote-
l dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. Quam

A sententiam exponens beatus Augustinus dicit : « Me-
rito quæritur utrum ista pœna sit, ut non eam possit
dimittere per omne tempus, quam inordinate atque
illicite violavit. Si enim ob hoc intelligere volueri-
mus, eam non posse, id est, non debere dimitti per
omne tempus, quia uxor effecta est, occurret illud
quod permisit Moyses dare libellum repudii, et di-
mittere. In his autem qui illicite vitiant, noluit li-
cere, ne ad ludibrium fecisse videatur, et potius
fixisse quod eam uxorem duxerit, quam vero placi-
toque duxisse. Hoc et de illa jussum est, cui fuerit
vir calumniatus de virginalibus non inventis, de qua,
sicut supra diximus, scriptum est : *Habebit eam uxo-*
rem, et non poterit dimittere eam omni tempore vitæ
sux. » De qua item sententia beatus Augustinus di-
cit : « Satis hinc apparet quemadmodum subditas
feminas viris, et pene famulas, lex esse voluerit uxo-
res, quod dicens adversus uxorem vir testimonium,
unde lapidaretur, si hoc verum esse demonstraretur,
ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum
esse constiterit, sed tantummodo castigatur et dam-
nificatur, eique perpetuo jubetur adhærere qua ca-
rere voluerat. In aliis autem causis, eum, qui testi-
monio falso cuiquam nocuerit, quo si probaretur
jussit occidi, eadem pœna plecti jubet, qua fuerat,
si verum esset, iste plectendus. »

INTERROGATIO XIX.

De eo vero quod quæsitum est remandate nobis,
si ipsa criminibus obnoxia, de quibus reputatur in-
venta fuerit, utrum idem rex alteri feminae conjungi
valeat.

RESPONSIO.

Patim jam supra respondimus, quæ partim nunc
iterare non piget. Videlicet, si secundum leges Chri-
stianas, forenses scilicet atque ecclesiasticas, inven-
tum fuerit quod illa conjunctio legalis non fuerit,
beati Gregorii ad Felicem Siciliensem episcopum te-
neatur sententia qua dicit : « Incestuosos nullo con-
jugii nomine deputandos, a sanctis Patribus dudum
legimus constitutum. » Et sanctus Ambrosius in
prima epistola ad Corinthios dicit : « Non est, in-
quiens, frater aut soror servituti subjectus in ejus-
modi, hoc est, non debetur reverentia conjugii ei
qui horret auctorem conjugii. Non enim ratum est
matrimonium quod sine Dei devotione est, ac per
hoc non est peccatum ei qui dimittitur propter
Deum, si alii se junxerit. Contumelia enim Crea-
toris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur,
ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem disce-
dens, et in Deum et matrimonium peccare dignosci-
tur, quia noluit sub Dei devotione habere conjugium.
Itaque non est ei fides **CCC** servanda conjugii, qui
ideo recessit ne audiret rectorem esse Christiano-
rum Deum conjugii. Nam si Esdras dimitti fecit
uxores, aut viros infideles, ut propitius fieret Deus
(*Esrl. ix et x*), nec iratus, si alias ex genere suo acci-
perent (non enim ita præceptum his est, ut reman-
sis istis alias minime ducerent), quanto magis

infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suæ viro? Illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra decretum Dei factum est, sed cum post cognoscit, et dolet deliquisse, emendat se ut veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per cogitationem Dei confirmatur conjugium. In pace autem vocavit nos Deus. Verum est quia non oportet litigare cum eo qui discedit, quia odio Dei discedit, hac per hoc nec dignus habendus est. » Et hinc sanctus Augustinus in libris ad Pollentium : « Merito quas duxerunt, » quin uxores, « filii Israel Domino prohibente, Domino jubentes dimiserunt, quia omne quod non est ex fide peccatum est. » Unde lector in eisdem libris latius invenire valebit. Et in concilio Agathensi scriptum est (can. 61) : « De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. » Et post aliquanta : « Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. »

INTERROGATIO XX.

De eo vero quod requisitum est, si et ipsi regi, unde publicam pœnitentiam agere debeat, postquam illi femina criminosa inventa fuerit, utrum ipse rex post publicam pœnitentiam conjugem legitimam possit accipere.

RESPONSIO.

Sanctus Leo papa ad Rusticum Narbonensem episcopum respondet dicens (epist. 95, cap. 25) : « In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, et postea, timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem nullam omnino cognoverit : in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus : Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans mentis et corporis. » Sed et hinc in Toletano concilio (vi), capite octavo : « Antiqui et sanctissimi est patris sententia papæ Leonis, ut is qui in ætate adolescentiæ positus dum mortis formidat casum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si conjugatus forte fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiam statum. Quos nos sicut de viris, ita et de feminis æquo modo censemus, non quidem hoc generaliter et legitime præceptum, sed constat a nobis pro humana fragilitate indultum : ea duntaxat ratione, ut si is qui pœnitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac vita discesserit, quam ex consensu ad continentiam eorum unde fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad uxorios transire amplexus. Si autem illius vita exstiterit superstes, qui non accepit benedictionem pœnitentis,

nubat si se continere non potest, et alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu pari modo a nobis manifestum est decrevisse, ita videlicet, ut in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur, ut juxta quod ætatem aptam prospexerit, continentiam absolutionis vel districtioris tribuat legem. »

INTERROGATIO XXI.

De hoc etiam quod in quæstionum fine subjunctum est, remandate, si et sæpefata femina legaliter rejecta fuerit, et ipse rex, post pœnitentiam actam, si voluerit concubinam quam habuit, et cum qua post initum conjugium adulterasse dicitur, in conjugem possit accipere.

RESPONSIO.

Quia una est lex viri et femine, ut supra Scripturarum et catholicorum Patrum sententiis demonstravimus, si solutus fuerit a lege conjugis, sicut Paulus dicit de uxore : *Nubat cui voluerit, tantum in Domino* (I Cor. vii, 39), « hoc est, ut Ambrosius dicit, sine suspitione turpitudinis nubat et religionis suæ viro nubat, hoc est in Domino nubere. Quæ solutio et licita copulatio, duobus intelligitur, et duobus fit modis. Scilicet in his qui aut nunquam legale inierunt conjugium, aut morte intercedente soluti sunt a lege conjugii, sicut Paulus dicit : *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant* (I Cor. vii, 8). Et item : *Solutus es ab uxore : ne quæsieris uxorem : si autem acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo, non peccabit* (ibid.). Quod æque de masculo et femina intelligitur, communis etenim generis hic et hæc virgo, et hoc demonstrat subsequenter Apostolus dicens : *Tribulationes tamen carnis habebunt hujusmodi* (ibid.). Quam sententiam et in viro et in femina exponit Ambrosius : « Fit etiam quod licet illicitum, in his qui sine culpa ad conjugium venire poterant, et majus bonum subire proponunt, bonumque minus, quod licuit, illicitum faciunt. » Unde scriptum est : *Nemo ponens manum super aratrum et respiciens retro, aptus est regno cælorum* (Luc. ix, 52). Quid igitur fortiori studio intenderat, retro conspiciere convincitur, si, relictis bonis amplioribus, ad minima retorquetur. Fit et interdum, causa non contemnenda interveniente, quod erat illicitum licitum, cum legaliter initum conjugium dissolvi permittitur causa infidelitatis. Unde Paulus dicit : *Si quis frater uxorem habeat infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illum. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non relinquat virum* (I Cor. vii, 12); et post pauca : *Quod si infidelis discedit, discedat* (ibid.); vel cum causa fornicationis uxor relinquatur, de qua item Paulus dicit : *His autem qui in matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, et virum uxorem non dimittere* (I Cor. vii, 10). Quod æqua lance pensatur, ut

erit, in cœlibatu permaneat. Quæ disjunctio
 ales post initum conjugium fieri non potest,
 sa fornicationis, et amore continentiae. Et
 erat illicitum indulgentia licitum, sicut
 ulus in minoribus etiam de magnis demon-
 cens: *Hoc autem dico secundum indulgen-*
tiæ secundum imperium (ibid., 6), cum vir
 r propter fornicationem separati, si se con-
 m possunt, ad invicem reconcilientur. Illici-
 n erat ut ad unionem carnis, quam sociave-
 nicantes, revenirent qui in continentia per-
 lebuerant: præsertim cum dicat Scriptura:
 : *adulterum stultus et impius est (Prov. xviii,*
 , ut sanctus Augustinus in libro de Bono
 i dicit: « Propter majus malum, toleratur
 nus est pravum. » Dominus enim dicit
 ix, 1) quia vir et uxor propter fornicatio-
 invicem separati, si aliis se conjunxerint,
 nt: et qui junxerint se aliis, mœchantur.
 in libro de Sermone Domini in monte, et in
 tractationum apertissime dicit, quod et de-
 t Innocentius ad Exuperium Tolosanum epi-
 sicut supra posuimus: « Manifestum est
 item Augustinus dicit, pejus esse adulte-
 am fornicationem. Nec ideo bona erit for-
 quia pejus est adulterium, quoniam pejus
 um matrimonium violare, quam meretrici
 a. Nec bonum est adulterium, quia est pejor
 : pejus est enim cum matre, quam cum
 xore concumbere, et donec ad ea pervenia-
 sicut ait Apostolus: *Turpe est etiam dicere*
 , 12). » Et beatus dicit Gregorius: « Dum
 vitiorum languor irruit, et hoc lenius, illud
 gravius premit, ei nimirum vitio rectius sub-
 3 subvenitur, per quod festine ad interitum
 et inter duo pericula quod levius est pru-
 rpetitur. Fit et illicitum venia licitum, cum
 1 pœnitentiam agens adolescens, ut Leo de-
 , timens lapsum incontinentiæ juvenilis,
 uxoris eligit, ne crimen fornicationis
 rem faciens venialem; si præter con-
 allam omnino cognoverit: in quo regula non
 tur, sed quid sit tolerabilius æstimatur. »
 r et quasi illicite de illicito ad licitum, cum
 ibus nefariis, quos Agathense designat con-
 mc. 61, quando cum pœnitentiæ indulgentia
 lexis uxorios transiri permittitur. Sic et de
 alibus modis dicendum est, qualiter non de
 bonum atque honestum, et non de bono ad
 671 quanquam non satis honestum, et de
 aliquod bonum, sed non honestum trans-
 im est enim atque honestum ante inuptos,
 pinitate permanere nequiverint, sicut supra
 us ex apostolica traditione, sancto Evaristo
 , nuptialem conjunctionem expetere. Et
 tque honestum est, cœlibes, si se continere
 unt, sicut sanctus Leo demonstrat, legale
 jugium. Qualiter autem de non bono ad bo-
 ne honestum, id est de concubina ad uxorem

A transitur, idem sanctus Leo ad Rusi-
 sem episcopum demonstrat dicens (*epist. 25, cap. 18*):
 « Non omnis mulier juncta viro uxor est viri, quia
 nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem
 fœdera inter ingenuos sunt legitima, et inter æqua-
 les, multo prius hoc ipsum Domino constituate,
 quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud
 est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud
 libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestan-
 dam harum personarum discretionem, testimonium
 ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahæ: *Ejice ancillam,*
et filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum
filio meo Isaac (Gal. iv, 30); Gen. xxi, 10). Unde cum
 societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut
 præter sexuum conjunctionem haberet etiam in se
 Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est
 B eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in
 qua non docetur nuptiale fuisse mysterium. » Et
 item: « Ancillam vel concubinam a toro abjicere, et
 uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio
 conjugii, sed profectus est honestatis: quoniam pa-
 terno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres,
 quæ a viris habebantur, in matrimonia non fuerunt,
 quia aliud est nupta, aliud concubina. » De non bono
 autem ad bonum, quanquam non satis honestum,
 transitur, sicut idem Leo ubi supra demonstrat,
 quando concubina forte ingenua facta, si fuerat ante
 ancilla, et dotata legitime, et publicis nuptiis hone-
 stata videatur, sicut et omnis uxor legaliter conju-
 gata, post desponsationem legitime dotari et publicis
 honestari nuptiis debet. De malo autem ad aliquod
 C bonum, sed non honestum, tolerabiliter festinatur,
 sicut sanctus Augustinus in primo libro de Nuptiis
 et Concupiscentia (*cap. 1*) dicit: « Sane non tantum
 fecunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum
 pudicitia, cujus vinculum est fides, venum etiam
 quoddam sacramentum nuptiarum commendatur
 fidelibus conjugatis. Unde dicit Apostolus: *Viri,*
diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Eccle-
siam (Ephes. v, 25). Hujus procul dubio sacramenti
 res est, ut mas et femina connubio copulati quandiu
 vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, exce-
 pta causa fornicationis, a conjugate conjugem dirimi.
 Hoc enim custoditur, in Christo et Ecclesia, ut vivens
 cum vivente in æternum nullo divortio separetur.
 Cujus sacramenti tanta observatio est in civitate Dei
 D nostri in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia
 Christi, quibusque fidelibus congregatis, qui sunt
 sine dubio membra 672 Christi, ut cum filiorum
 procreandorum causa vel nubant feminæ, vel ducan-
 tur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relin-
 quere, ut alia secunda ducatur. Quod si quisquam
 fecerit, non lege hujus sæculi, ubi interviente
 repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia co-
 pulare connubia, quod etiam sanctum Moysen Do-
 minus propter duritiam cordis illorum Israelitis
 permisisse testatur, sed lege Evangelii (*Matth. xix,*
 8) reus est adulterii, sicut etiam illa si alteri nupse-
 rit. Et usque adeo manent inter viventes semel inita

jura nuptiarum, et potius sint inter se conjuges qui ab alterutro separati, quam cum his quibus aliis adhererant. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, vel femina, cum quo vel cum qua verum connubium fuit, fieri verum connubium (non) potest eum quo vel cum qua prius adulterium fuit. » Videlicet si cognatio, aut habitus religionis, vel impudicitia pessimi criminis, sive aliquid hujusmodi non obstiterit. Et item ubi supra Augustinus (*ibidem*) : « Ita manet etiam inter viventes quidam conjugale, quod nec separatio, nec eum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis : sicut apostata anima velat de conjugio Christi recedens, etiam fide perditam sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit : redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet hoc autem qui recesserit ad cœculum supplicii, non ad meritum præmii. » Et in libro de Bono conjugali (*cap. 24*) : « Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis : quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, ne saltem ipsa causa pariendi, quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis, et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium permanente. » Et item in præfato libro de Nuptiis et Concupiscentia (*lib. 1, c. 11*) : « Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur : imo firmiter erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordantiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. » His Scripturarum testimoniis, atque sanctorum dictis manifestatur, quomodo concubinam, cum qua adulterasse dicitur, si voluerit in conjugium sibi sociare prævaleat. Videlicet, si aut uxor legaliter accepta, et innoxia erga illum inventa, mortua fuerit corpore, vel si inventa fuerit anima deo mortua, ut ipsius cum ea copula incestus et nullo conjugii nomine deputandus legaliter comprobetur. Nec tamen talis conjunctio, si hujusmodi concubinam in conjugem sumpserit, reprehensione atque offensionis macula carere videbitur, dicente beato Augustino in libro de Bono conjugali (*cap. 13, 14, 15*) : « Quod ergo, inquit, præcipiunt conjugatis apostoli, hoc est nuptiarum : quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt. Itaque si forte, quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri non posse existimo,

sed tamen si forte ad tempus adhibita concubina, filios solos ex eadem commistione quæsiverit, nec ista sic conjunctio vel eorum nuptiis præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid enim sit nuptiarum, considerandum est, non qui nubentium et immoderatus nuptiis utentium. Neque enim ut agris intque ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas elemosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque enim, si alius ruri paterno vel juste quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet : nec vituperabilis ordo regie potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviet. Aliud est namque injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate injuste uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibite, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum : nec conjugatæ, si dum maritis lasciviant, nuptiali ordinal crimen imponunt. Posse sane fieri nuptias ex male conjunctis, honesto placito consequente, manifestum est. Semel autem initum connubium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicujus eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur ; ita ut jam scientibus conjugatis non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis, quibus se copulaverint, adulterium committunt. »

Quoniam, ut sancti Patres de bono conjugali diffiniunt, bonum habent nuptiæ, et quod bonum est, peccatum non est : ac per hoc qui contra bonum nuptiale facit, peccatum facit cum adulterium committit. Diffiniunt etiam, quod bonæ et a Deo constitutæ ac benedictæ sunt nuptiæ, quas etiam sua præsentia consecravit, in quibus est fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel cum altero concubatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur : nec tantum gaudeant parentes quia sobolem genuerunt, quantum ut soboles in Christo regenerentur. In sacramento autem, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa proles alteri conjugatur. Hæc est regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel continentie regitur pravitas, sicut sanctus Augustinus in libro 674 de Bono conjugali, et in libro de Nuptiis et Concupiscentia latissime et factissime satis ostendit. Unde omnimodis observandum est ne concubinæ vel cujuslibet alterius feminae copulam conjugalem rex, super quo voluerunt consulere consulentes, aliquo modo expetat, antequam legali virorum illustrium iudicis, et sacerdotali decreto conjux, quam legaliter accepit, ipso etiam conjugis nomine iudicetur indigna, aut divino

Judicio migret a corpore, quia sicut in libro Esther manifestissime legitur, regina Vasthi potentissimi regis Assueri, licet ferocissimus fuerit, cum ejus animos contemptu et contumacia offendisset, nequaquam sola illius indignatione et furore ex imperii honore deposita fuit, sed publico judicio et sententia principum ac judicium Medorum atque Persarum, et post depositionem illius reginæ per judicium publicum factam, quæsitæ sunt puellæ quæ placerent oculis regis, inter quas Esther pulchritudine et decore onituit, sicque regiam copulam meruit. Quod etiam antiqui Romani legitimo judicio fieri debere legibus suis antiquitus statuerunt et servaverunt, non solum jam effecti Christiani, sed etiam cum adhuc essent pagani, sicut apertissime ostendit lex Antonini pagani imperatoris, quam beatus Augustinus in libro de adulteriis Conjugiis hoc modo commemorat et commendat dicens (*lib. II, cap. 8*): « Quibus displicet, ut inter virum et uxorem pudicitia forma servetur, et potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura forensia non eisdem quibus feminas pudicitia nexibus viros videntur obstringere, legat quid imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit. Nam supra dicti imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur: « Sane, inquit, litteræ meæ nulla parte causæ præjudicabunt. Neque enim, si penes te culpa fuit ut matrimonium solveretur, et secundum legem Juliam Eupasia uxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constat esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet: quæ res potest et virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere. » Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis, quando castiores quærit cælestis patria, et societas angelorum. » Hæc de legibus pagani imperatoris Antonini beatus Augustinus commemorat. Ita reges Medorum, ac Persarum, atque Romanorum, et judices sæculi, cum essent pagani et idolorum cultores, naturaliter quæ legis sunt facientes, etiam in causis conjugum non crudelitatem et sævitiam, sed equitatem et justitiam decernere ac diffinire et tenere debere docuerunt. Quapropter timendum est regibus, episcopis et judicibus sæculi, quod in Evangelio dicitur de Ninitivis, et regina Austri, *Quoniam surgent in judicio, et condemnabunt generationem pessimam* (*Matth. XII, 41*). Condemnabunt utique non potestate judicii, sed comparatione melioris facti. Si reges illi ac judices idololatræ sic ordinem

A judicii servaverunt, et nos sub Christo judice vivorum ac mortuorum quocunque intuitu minus debito a judicii ordine deviamus. In Numeri quoque libro præcipitur (*Num. V*), ut si qua mulier vel adulterii rea, vel falsa suspitione fuerit appetita, et vir ejus zelo adversus eam fuerit concitatus, adducat illam ad sacerdotes, et divino judicio vel damnamdam offerat, vel liberandam. Unde Susanna cum falso adulterii crimine accusaretur, et publico judicio condemnata, et publico legitur absoluta (*Dan. XIII*). Et illa mulier in Evangelio, quæ veraciter in adulterio fuerat deprehensa, primum juxta legem ad Phariseos, qui potestatem judicii in populo exercebant, deinde etiam tentandi gratia ad Domini judicium perducta est, ubi ejus admirabili pietate, et a lapidationis supplicio, et a criminis reatu meruit liberari (*Joan. VIII*). Sic et leges Christianæ sunt inspirante Domino conditæ, quibus legaliter initur conjugium, et sacerdotalis auctoritatis est sanctitas, qua benedictionem suam Dominus in paradiso primis parentibus per sedatam conjugibus legaliter copulatis, vice sua per eos, qui illius os appellantur, dicente propheta: *Os Domini locutum est* (*Isa. I, 20*). Et ipso Domino: *Cum separaveris pretiosum a vilis, quasi os merum eris* (*Jer. XV, 19*), viritum vult largiri, et infirmos pœnitentiæ medicamento sanare. Et liber dicit Ecclesiasticus de servo, quanto minus de uxore, *Verum sine judicio nihil facias grave* (*Eccli. XXXIII, 30*). Est et illi regi aliud observandum, ne ante legitimam pœnitentiam, secundum leges Ecclesiæ susceptam atque peractam, et reconciliationem adeptam, conjugio, multo minus eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet: quoniam nec David rex (*II Reg. XII, 15*), sine talis excoctionis pœnitentia, Bethsabæe, cum qua adulteravit, in conjugem habuit, ut et filius, qui ex ipso adulterio natus fuerat, confestim divino judicio, licet pro se multum jejunando et flendo petierit, sit percussus ac mortuus, et ipse postea gravissimis tribulationibus, ac regni sui amissione per filium suum Absalon ita afflicus est et vexatus, ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, ut vere sola divina clementia evasisse videatur; et jam ei acerrime contrito corde pœnitenti et contenti misericors Dominus peccatum dimiserat: sed quia justus est, et justitiam diligit, quod rex ab eo ad scelera ulciscenda constitutus egerat scelerate, digne atque justissime vindicavit.

676 INTERROGATIO XXII.

Octavo capitulo nobis rescribite, utrum sequendum sit quod quidam dicunt quosdam docere episcopos, ut sibi confessis viris vel feminis debeant patrocini defensionis impendere, ne quisquam hujusmodi personas ad judicium reipublicæ audeat pro criminibus unde eis confessæ fuerant, etiam si multis nota sunt crimina, provocare. Et si se, non ex consensu propter continentiam, sed propter dissidium aliquod, separare voluerint, vel eorum fra-

gilitati, si separati se continere nequiverint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua posse consu-
lere; dicentes quia secreta confessione ad ecclesia-
sticam confugerint pietatem, sicut Bosonis mulier,
de qua in synodo apud Leucorum civitatem habita-
fuimus cum interpellatione commoniti, et ideo ab
aliis quam ab episcopis, quibus confessæ tales per-
sonæ fuerant, non debeant judicari.

RESPONSIO.

Hoc quam absurdum sit, quilibet sensatus licet ignoret leges Ecclesiæ recognoscit, quia ut beatus Gregorius ad Leontium exconsulem scribit (*lib. viii, epist. 51*): « Debet, inquit, gloria vestra meminisse quia nunquam meas epistolas pro commendatione alicujus accepit, nisi ut protectionem vestram favente justitia præstaretis. Quia turpe est defendere quod prius non constiterit justum esse. Ego quidem homines propter justitiam diligo, non autem justitiam propter homines postpono. » Sicut enim, ut supra beatum docuisse Ambrosium scripsimus, non minus quam ante decem testes pactum potest firmari conjugii, sed et ipsum nomen nuptiæ, quod singularitate caret, plurimorum expetere monstrat debere notitiam, et quod publice conjunctum est, in angulo separari non potest: et de secreta confessione, quam publicari non licet, conjugium legibus Christianis ac publicis conjugatum ab eodem conjugii jugo dissolvi non potest, neque tale colludium ad ecclesiasticam pietatem dici debet confugium. Unde si nosse quiscunque desiderat quid auctoritas ecclesiastica de ad se ut ad matris sinum confugientibus moderate decernat, suggerimus, ut inter alia curiosus vel quilibet studiosus beati Gregorii revolvat epistolas, in quibus multoties, imo quoties convenientia se loci obtulerit, sive ad imperatores, vel ad quascunque personas, pro omnibus ad se confugientibus petens, litteris suis semper inseruit, salva æquitate, vel salva ratione, sive constante justitia, aut causa judiciali termino diffinita, sine sacerdotali invidia: et, « Ut electorum cum parte altera necesse est subire judicium, et ut veritas cognosci, et quod æquitatis ordo suaserit, valeat diffiniri. Et, Ut mora cessante ad electorum accedere quisque compellatur judicium: et, Quidquid veritate cognita sacro sanctis Evangeliiis fuerit statutum, ita ad effectum executionis omnimodis perducatur: et, Quidquid suadente justitia visum fuerit, scripto decernatur: et, Ut in nullo contra leges aut rationem quis patiat aliquo modo prægravari, sed ut justitiam ei, sicut Christianitati convenit, in omnibus debeat custodire, quatenus ipse, qui ad pietatem ecclesiasticam confugit, quod ei ab eadem pietate promissum est, non debeat contra æquitate ordinem prægravari: et iterum, Ubique confugienti necesse fuerit, salva ei ratione concurratur: et item, Solatiis vestris, quocunque unus exegerit, comitante justitia potiat. » Et item ad Fantinum defensorem (*lib. vi, ind. 2, epist. 83*):

A « Antefatæ mulieri salva æquitate tuitionem impende, et eam contra rationis ordinem nullo modo gravari permittas. » Et iterum ad Anatolium Constantinopolitanum diaconum (*lib. vii, ind. 51, epist. 82*). « Hoc autem dilectionem tuam volumus sollicite attendere, ne se in quacunque causa ubi gravamen est pauperum, misceri consentiat, ne forte potentia personarum aliquatenus pressus, cogatur agere quod animæ illius non possit expedire. Cuncta ergo cum Dei timore tractate, æternam maxime mercedem perpendite. » Et ad Sabinum subdiaconum (*lib. viii, epist. 6*): « Studii tui sit, ut nullis contra rationem dispendiis debeant subjacere. Quod si forte aliqua nititur excusatione defendere, mediis sacrosanctis Evangeliiis causam subtiliter perscrutari, et ita, ut justitia ac legis ordo suaserit, diffinire convenit, atque diffinitam effectui mancipare. » Et ad Romanum defensorem (*lib. vii, ind. 2, epist. 24*): « Patrocina ecclesiastica, sive mea suscipiatis scripta, sive etiam minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur injuste defendi, ne opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos ullo modo transferamus: sed quantum decet Ecclesiam admonendo, et verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, ut et illis opem feratis, et opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinatis. »

Sed et his qui ad septa ecclesiæ, et etiam ad ipsa sacraria confugerint sanctuarii, ad Januarium episcopum Caralitane civitatis scribit (*lib. viii, epist. 38*): « Si quis, inquit, de quibus est questio, in ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Cura ergo vestræ sit, ut eis sacramentum, ab his quorum interest, de servanda lege et justitia promittatur, et per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. » Et in libro primo capitulorum domni Caroli et Ludovici Augustorum: « Si quis ad ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse ecclesiam ingredi, et nullus eum inde per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, et inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publico producat. » Et in concilio Aurelianensi capite primo, de homicidis, adulteris, et furibus, si ad ecclesiam confugerint, scriptum est, ut « sicut in ecclesiasticis canonibus, et Romanæ legis decretis constitutum est, ab ecclesiæ atrii, vel domo episcopi eos non liceat abstrahi, sed datis sacramentis de morte, ac debilitate, ac omni pœnarum genere, violentiam ante legalem satisfactionem patiantur, ab ecclesia excant, ita ut ei cui reus fuerit criminis de satisfactione conveniat. » Et in tertio capitulo (*can. 5*): « Si cujusquam servus ad ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, accepto sacramento de impunitate ad servitium domini sui redire cogatur. »

isi post datum sacramentum redire noluerit, A
olentem a domino liceat occupari : non ob-
es autem ea quæ promiserint, a communione
istica jubentur abscidi. » Sed et in secundo
o ejusdem concilii scriptum est (*can. 4*), « Ut
eclesiam raptor cum rapta confugerit, et
m ipsam violentiam pertulisse constiterit,
liberetur de potestate raptoris. et raptor,
vel pœnarum impunitate concessa, aut ser-
conditioni subjectus sit, aut redimendi se
i habeat facultatem. Si vero quæ rapitur
habere constiterit, et puella raptori consen-
testati patris excusata reddatur. » Et in
o Africano scriptum est (*can. 29*): « Ut si quis
bet honoris clericus iudicio episcoporum quo-
orimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive
æiis quibus præfuit, sive a quolibet homine
iri, interposita pœna damni, pecuniæ, atque
i, quo nec ætatem, nec sexum excusandum
rgum promulgatores præcipiant. » Quanto
episcopi, æquitatis videlicet prædicatores,
nam sub specie pietatis injuste debeant de-
i? præsertim cum relegant scriptum esse,
o offeras, recte autem non divides, peccasti ;
ite quod justum est exsequeris (*Deut. xvi, 20*).
si cui quiddam sonare videtur contrarium
nensis synodus decretis apostolicæ sedis,
m hæc de impunitate, illa de æquitate ser-
postulat sacramenta, sciendum est, quia
Gregorius de his personis dicit, quæ se ju-
i in iudicio credunt, sed violentiam ante ju-
timent : Synodus autem Aurelianensis de C
sit, qui suam injustitiam non abscondunt,
ret violentiam cum æquitate iudicii pertime-
non autem de lege connubii, quam speciali-
ut dicamus singulariter Dominus in paradiso
parentibus dedit : et in Evangelio etiam
is conquirentibus, quod si ita lex esset viri
core, non expediret nubere, non mutavit ;
ilus ad tertium cœlum et in paradysum raptus
e quiddam novi præsumpsit, aut aliquid de
odi defensione dicere attentavit. Sed et obser-
n constat legentibus, ut quotiescunque conci-
quod, pro temporis qualitate, vel periculi ne-
te, quiddam consulendo, apostolicæ sedi, vel
eteribus regulis diversum, sed non fidei vel
si adversum decrevisse legitur, secundum D
a Nicæno concilio capitulo sexto legitur, De
i communi cunctorum decreto rationabili, et
um regulam ecclesiasticam comprobato, duo
s contradicunt, quatenus oblineat sententia
orum. Ita, sicut scribit Gelasius (*epist. 6, 6*),
icis pro sua reverentia manentibus con-
, quæ ubi nulla vel rerum vel temporum
et angustia regulariter convenit custodiri, id
sequendum esse dignoscitur quod apostolica
rrefragabiliter teneri decrevit, vel plura seu
s auctoritatis concilia statuerunt.

quoque beatus Gregorius urgendum ad justiti-

tiam nolentem Venantio Lunensi episcopo scribit di-
cens (*lib. vii, indict. 11, epist. 28*): « Quoniam æquitatis
censura admonet, ut maximum conversis, salva ra-
tione, episcopale debeat adesse solatium, idcirco his
fraternitatem vestram epistolis adhortamur, ut præ-
dictam matrem ipsius Adeodatæ ad se faciat evocari,
et tranquillæ adhortatione suadeat, ut facere sponte
non desinat ad quod legali potest ratione compelli,
quatenus nec illa affligi, nec hæc videatur præju-
diciam sustinere. Quæ si, ut non credimus, admoni-
tionem vestram differre voluerit, prædictæ Adeodatæ
religiosæ contra eam tuitionem impendite, atque
vestris eam solatiis apud iudicem, vel quocunque
usus exegerit, instantius adjuvate, et ita in exse-
quenda hac vos causa impendite, ut legali ratione
constricta, invita urgeatur facere quod sponte post-
ponit. Memoratam vero latricem fraternitas vestra
ita servata æquitate habeat, in omnibus commenda-
tam, ut vobis ei tuitionem impendentibus, in eo
quem assumpsit habitu sine aliqua, Deo protegente,
concussione permaneat. » Et ad Januarium episco-
pum Sardinie : « Ad hoc Redemptum defensorem
nostrum præsentium portitorem illuc direximus, ut
et partes in iudicio observare compellat, et execu-
tionis suæ instantia ad effectum quæ fuerint iudicata
perducat. » Et plura quæ reperiuntur hujusmodi, et
longum est a nobis enumerari. Contra hæc enim
petere, non Ecclesiæ, neque ecclesiastici viri esse
juris cognoscitur, ne forte indebita pietas impietas
iudicetur, sicut sanctus Cælestinus ad Nestorium
scribit : « Est enim, inquiens, talis frequenter pie-
tas, ex qua nascatur impietas. » Et S. Augustinus
in libro quarto contra Julianum (*can. 3*) : « Forte
dicturus es, inquit, misericors voluntas bona est.
Recte istud diceretur, si quemadmodum fides Christi,
id est fides quæ per dilectionem operatur, semper
est bona, ita misericordia semper esset bona. Si
autem reperitur et misericordia mala, qua persona
pauperis accipitur in iudicio, propter quam postremo
rex Saul meruit a Domino utique misericorde dam-
nari, quia contra ejus præceptum captivo regi per
humanum pepercit affectum (*I Reg. xv*), attentius
cogita, ne forte misericordia bona non sit, nisi quæ
hujus bonæ fidei fuerit. Imo responde, ut hoc sine
dubitatione perspicias, utrum bonam misericordiam
existimes ☉☉ infidelem. Porro si vitium est male
misereri, procul dubio vitium est infideliter mise-
reri. » Nemo quippe sic misericors, quanto magis
Deo misericordior poterit inveniri, quem Psalmista
misericordiam voluit appellare dicens : *Deus meus
misericordia mea* (*Psal. LVIII, 18*), qui justis iudi-
cibus de muliere in adulterio deprehensa sibi que
oblata, justum iudicium noluit tollere (*Joan. VIII*).
Unde sanctus Hieronymus versum psalmi exponens
dicit : *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justi-
tiam* (*Psal. XLIV, 5*). Veritas ipse est Christus, unde
de illa muliere dixit ad Judæos : *Qui sine peccato
est vestrum, prior in eam lapidem mittat* (*Joan.
VIII, 7*). Mansuetudo, quando dixit : *Nec ego te con-*

damnabo (Joan. VIII, 11). Justitia, quando dixit: Vade, mulier, et amplius noli peccare (ibid.).

Nam quod in tomo supra memorato relegimus de præfata muliere Bosonis hoc modo conscriptum: « Maritum vero illius cum pacto securitatis, dum advenit, vel immoratur nobiscum, sive recedit, evocavimus, ut ejus conjugem in ipsius præsentia examinemus, inexaminatam vero morti tradere ad nos confugientem, ut iniquum et crudele devitamus: quia cum nullus specialis accusator accedat, ipsa tamen admonita pariter et interrogata nihil aliud constiterit, quam quod solius Hucberti persecutionem mori timens declinet, » prudenter debent legentes advertere, utrum auctoritati, vel rationi valeat convenire. Auctoritas quippe de æquitate atque justitia conservanda confugientibus ad ecclesiam postulat firmitatem, et non viro de uxore sua legaliter desponsata, legitime dotata, publicis nuptiis honestata, si suspicione contra eam motus fuerit, legitimam aufert penitus potestatem. Quod autem in Heptatico de zelotypia scribitur (*Num. v.*), ut vir uxorem suam spiritu zelotypiæ concitatus ad sacerdotes ducat examinandam, ideo præceptum est, quia sacerdotis officium est, ut exorcismos aquis eluendos, quas mulier debet bibere, pro ministerio sibi imposito scribat: unde et sacri canones decreverunt (*con. Agath. c. 25*), ut sæculares suas conjuges, antequam ad episcopum provincialem discidium causam dixerint, non damnent, neque abjiciant. Cæterum legale iudicium auctoritas divina viris de suis non tollit uxoribus, sicut ex evangelica veritate supra ostendimus. Sed et diligentius advertamus quod in supra scripto volumine continetur, « Inexaminatam vero morti tradere ad nos confugientem, ut iniquum, et crudele, devitamus, » qui neque examinatos tradere morti debemus, nisi ut peccato mortui Deo vivant. Concedamus tamen ut episcopi eandem feminam in sua potestate, ad quos confugisse dicitur, retinentes, coram marito suo, si quiddam sinistri ei reputat, examinare procurent, et quid agendum erit, si in examinatione episcopali inventa culpabilis fuerit? Si enim iudicium legale de ea culpabili inventa episcopi sua auctoritate voluerint tollere, contra eum videbuntur agere cujus actio atque sermo perfecta auctoritas noscitur esse, sicut scriptum est: *Quæ cepit Jesus facere et docere (Act. 1, 1)*, quoniam isdem de muliere in adulterio deprehensa iudicium non abstulit, qui per Moysen hujusmodi lapidari præcepit, **§ 1** sed a justis iudicibus fieri iudicium legale præcepit dicens: *Primus in illam lapidem mittat (Joan. VIII, 7)*. Si vero a se examinatam, et repertam culpabilem episcopi tradiderint puniendam, contra pietatem ecclesiasticam, et ipsum Ecclesiæ caput, fontem videlicet pietatis, agere probabuntur, qui dixit: *Nec ego te condemno, vade et amplius noli peccare (Joan. VIII, 11)*. His ita evidenter cognitis, et diligentissime ponderatis, de ad Ecclesiæ pietatem confugientibus auctoritatem majorum sequamur

episcopi, et non deprehendemur reprehendendi. Quod denique ibidem scribitur, quia cum nullus specialis accusator accedat, ipsa tamen admonita pariter et interrogata, nihil aliud constiterit quam quod solius Hucberti persecutionem mori timens declinet: quid aliud restat, quoniam a nomine accusatur, si episcopi secundum tales canones, si forte habentur quos nondum legimus, et Christiani ac nobiles laici juxta leges, quas nequaquam didicimus, aliter non invenerint, nisi ut marito suo, et si forte necessitas et ratio pro aliquo ei objecto crimine postulat, cum firmitate de æquitate reddatur, et a marito suo, ne ab Hucberto occidatur, maritali defensione, ut justum est, tueatur, et sic demum maritus secundum Christianorum et ecclesiasticam legem, ut vir de uxore debet, legitima atque legali ex ea potestate utatur?

INTERROGATIO XXIII.

De eo quod scriptum est a quibusdam dici, si non ex consensu vir et mulier propter continentiam, sed propter discidium aliquod separare voluerint, vel eorum fragilitati, si separati se continere nequiverint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sum episcopos posse consulere.

RESPONSIO.

Sciant quicumque hæc dicunt, secundum quemdam modum, hujusmodi capitulum quartum erroris fuisse illorum, qui sanctæ synodo Chalcedonensi derogare et contraire præsumpserunt, et ab apostolica sede, atque unanimitate totius mundi episcoporum sunt ut erronei condemnati, sicut sanctus Leo multoties, et beatus Gregorius etiam in epistola ad Theodistam patriciam, hinc inter alia scripsit, dicens (*lib. IX, ep. 39*): « Per se, inquit, Veritas dicit, Quod Deus junxit, homo non separet (*Matth. XIX, 6*). Quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem, excepta causa fornicationis (Matth. V, 32)*. Quis ergo huic celesti legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est, *Erunt duo in carne una (Gen. II, 24)*. Si igitur vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem, quæ est ista conversio, in qua una eademque caro, et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? **§ 2** Si vero utriusque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? quando certum est quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit. Et quidem multos sanctorum novimus, cum suis conjugibus et prius continentem vitam duxisse, et postmodum ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Duobus enim modis sancti viri etiam a licitis abstinere solent: aliquando ut meritum sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando vero ut ante actæ vitæ culpas detergant. Proinde cum boni conjuges, aut meritum augere desiderant, aut ante actæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam astringant, et meliorem vitam appetant, licet. Si

verò continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet, quia scriptum est: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* (I Cor. vii, 4). Et in epistola ad Adrianum Panormi notarium, Urbicum abbatem culpat, quia maritum Agathosæ contra voluntatem ejus in monasterio ad conversionem suscepit, et maritum ei, etiamsi jam tonsuratus fuerit, reddi præcepit (*lib. ix, epist. 14*): « Nisi, inquit, quoddam fornicationis crimen, propter quod viro uxorem licet relinquere, prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, vel si jam tonsuratus est, reddere omnino debeas, excusatione cessante: quia postquam per copulationem conjugii, viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo remanere. »

Et ne nobis quisquam succenseat, quia judicia ecclesiastica etiam laicis audienda proponimus, legatum Patrum solutionem propositæ quæstionis, cur Dominus, qui sancta mordacibus, et margaritis irreverentibus proponere vetuit, requisitus de resurrectione mortuorum (*Matth. xix et xxii*), cum opposita turpi fabula de muliere septivira, infidelibus, invidis, ac tentatoribus secreta legis aperuerit, videlicet quoniam non eis, qui capere non poterant, sed eis qui poterant et simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat, secreta legis aperuit; et cum eum tentatores interrogabant, respondebatque illis, ita ut quod contradicerent non haberent, quamvis venenis suis contabescerent potiusquam illius cibo saturarentur, alii tamen, qui poterant capere, ex illorum occasione multa utiliter audiebant, et a nobis tantillis hominulis sufficientem satisfactionem accipiet. Sed et beatum Augustinum in libro de Bono perseverantiæ pro nobis loquentem benigne suscipiat. Ait enim (*cap. 16*): « Alia est, inquit, ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inserere, quarum tantum est et hæc una, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non sunt, sed nec peiores sunt. Cum autem res vera ita se habet, ut fiat peior nobis eam dicentibus ille qui capere non potest, nobis autem tacentibus ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne dicendum est potius verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit peior? qui si audiret et caperet, per illum etiam plures discerent: quo enim est capacior ut discat, eo magis est idoneus ut alios doceat. »

QUÆSTIONES SEPTEM.

Denique septem quæstiones sequuntur, quas post

PATROL. CXXV.

A præmissas, evolutis sex circiter mensibus, ab eisdem a quibus et priores solvendas accepimus. Quarum textum viritum, sicut et præcedentium, solutionibus præponemus, brevi prout poterimus respondentes sermone, ac si in buxæ designantes, quæ hinc, unde ea plenius pingere valeat, solers quisque intelligat, quatenus et fratrum petitionibus charitatis viscera non claudamus, et sapienti, secundum Scripturam, occasionem, cum ista plenius investigans intelligere procuraverit, sapientiore effici præbeamus, et horulis, quas a multiplicibus et diversissimis occupationibus nostris extorquemus potius quam mutuamus, qui cogitationum ferias non habemus, quoquomodo possint sufficere, et legentibus non increscant, quia de propositarum ante quæstionum responsis compendii penè modum excedit voluminis magnitudo. Harum autem quæstionum exordium habetur hujusmodi:

Quæsumus dilectionem vestram, ut non vos tædeat, si ad inquirenda nobis ad sciendum necessaria importuni persistimus, quæ postquam nuper vobis ad solvendum quæstiones direximus, multa comperimus, de quibus singulariter singulis nobis ex auctoritate Scripturæ, et regulis, ac doctrina ecclesiasticorum doctorum responderi deprecamur.

QUÆSTIO I.

Dicunt quidam quoniam rex Lotharius habet in suo regno episcopos, et nobiles, ac fideles laicos, quorum consultu atque consilio causam inter se et uxorem suam diffinivit, et non ad alterius regni episcopos, vel ad alios quoscunque inde aliquid pertinet retractare.

RESPONSIO.

Talibus respondendum est: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei* (*Matth. xxii, 29*). Quando pars filiorum Israel ædificaverunt tumulum testis, pars altera zelo divino succensa penè ad arma cucurrit, ne divideretur populus Domini, sicut postea divisus est in vaccis ab Jeroboam idololatriæ flagitio fabricatis (*III Reg. xii*). Et nunc isti Domini regnum et catholicam Ecclesiam, quæ una est columba atque dilecta, volentes scindere, quasi non tantum suadent, verum et cogunt dicere quod olim dixerunt quidam: *Non est tibi pars in David, nec hæreditas in filio Isai, revertere in tabernacula tua Israel, tentantes tempori nostro pestilentissimo illud superinducere, quando neque rex, neque dux in populo illo erat, sed unusquisque faciebat quod sibi rectum videbatur. Et utinam non quod rectum, et non quod voluptuose placitum videatur, et tortum ac malum sit, sciens et prudens faciat! Non est ita ut isti malitiose componunt. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (*Ephes. iv, 5*). Unum regnum, una Christi columba, videlicet sancta Ecclesia, unius Christianitatis lege, regni unius et unius Ecclesiæ, quanquam per plures regni principes et ecclesiarum præsules gubernacula moderan-

tur. Sed et hæc de qua agitur talis est causa, quæ generaliter ad omnes Christiano nomine insignitos pertinere noscatur. De rege enim et regina, de Christiano viro et Christiana femina, de lege conjugii in Paradiso primis a Deo data parentibus, et in Ecclesia roborata, et divinis ac humanis legibus per Deum confirmatis cauta, et constituta benedictione per ministerium sacerdotale, et quorumcunque fidelium more celebrata, ratio versatur in medium, quod tam excellentissimum bonum ac donum, tantum diaboli figmentum commaculat, ut illius operatio esse non dubitetur, quem Scriptura appariturum prædicat: *Ut in templo Dei sedeat, ostendens se quasi ipse sit Deus (II Thess II, 4)*; et: *Nam jam mysterium operatur iniquitatis (ibid., 7)*, cum licite illi cito respuuntur, et illicita quasi licite usurpantur, quibus non tantum illi episcopi, in quorum parochiis vel diocesi sollicitudinibus, vel illi fideles, in quorum oculis talia præsumuntur, ut ad se pertinentia commoveantur: verum universus ordo et omnium ordinum homines, hujusmodi portentosa novitate moventur. Unde sanctus Cælestinus papa Romanus, sicut supra jam diximus, ad Venetium et cæteros Gallicanos episcopos dicit (*epist. 8*): «*Universa Ecclesia quacunque novitate pulsatur.*» Et ad Nestorium Constantinopolitanum episcopum (*epist. 5*): «*Ab omnibus sciri debet quod agitur, quoties omnium causa tractatur.*» Hæc causa quasi est cunctis in specula. Quapropter sic eam necesse est diffiniri, vel diffinitam a cunctis agnosci, sicut debet ab omnibus observari, ut et Dominus dicit: *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate (Marc. XIII, 37)*. Et Africano concilio est definitum (*can. 95*), ut causæ, quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur: quoties autem exegerit causa communis, generalis synodus congregetur, ut in ea generalis causa diffiniatur. Quoniam ut Innocentius papa ad Victricium Rhotomagensem scribit episcopum (*epist. I, c. 1*): «*Integrum judicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur.*» Quapropter necesse est, ut hæc generalis causa ad omnes generaliter pertinens, in omnium notitiam veniat, et generali diffinitione determinetur, ne a minus eam scientibus dicatur. Omnis qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem bona agit, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta: et quæ inde, quantum ad generalitatem spectat, in tenebris dicta sunt, in lumine dicantur, et quæ in aure locuta sunt in cubiculis, prædicentur super tecta, ut a nemine reprehendantur, qui ut omnibus verbo et opere luceant, et ab omnibus conspiciantur, ut lucerna super candelabrum et civitas super montem positæ ab omnibus contemplantur.

QUÆSTIO II.

Dicunt etiam quia non sit auctoritas neque ratio, ut causa, quæ judicio episcoporum diffinita est, ad judicium debeat revenire: quia si fecerit, nullius

auctoritatis erunt de cætero isti episcopi qui illam diffinierunt, et quid in postmodum diffinierint, firmum esse non poterit, ut non valeat retractari

RESPONSIO.

Hæc vox imperitorum et nescientium regulas esse dignoscitur. Legite in Sardicensi concilio, quod Zosimus papa per Faustinum episcopum Carthaginensium synodo ex superscriptione Nicæni direxit concilii, sufficienter invenietis talia dicentes errare. Sed Leo papa Romanus ac synodus Romæ habita Theodosium Augustum de retractanda synodo Ephesina, cui periculose videbatur favere (*epist. 27*): «*Ecce ego, inquit, Christiane et venerabilis imperator, cum sacerdotibus meis, implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Domini de silentio judicamur, obsecramus coram unius divinitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos et auctrix imperii, et coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo stante esse jubeatis, in quo fuerunt ante judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur, nec alieno peccato patiamini vos gravari: quia, quod necesse est nos dicere, veremur ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur.*» Quod et in hac causa, quæ non modica in fide et religione est portio, ab omnibus sacerdotibus, regibus, et principibus, atque cunctis generaliter simul fidelibus, si negligenter ducitur, non mediocriter est verendum. Sed et sacris manifestatur canonibus, curam eorum totius provinciæ penes archiepiscopum vel principalem, qui coepiscoporum debet nosse judicia, de quibus necessaria fuerit reclamatio, et in quibus negotium expetierit, debet electos judices designare. Quibus omnibus demonstratur, quia synodus comprovincialium episcoporum judicia, generalis autem synodus comprovincialium dijudicationis, sive dissensiones, vel probet vel corrigat, ut in Africana synodo demonstratur, quæ nihil de Hippoensi concilio statuit emendandum. Apostolica vestra sedes et comprovincialium et generalium retractat, reficit, vel confirmet judicia, sicut epistolæ Leonis, et Gelasii, cæterorumque Romanorum pontificum, et Sardicensis synodus evidenter ostendunt, episcoporum recte judicantium confirmatur, et sacerdotum judicantium corrigitur, et interdum funditus non perit auctoritas.

QUÆSTIO III.

Et dicunt, quia non alii archiepiscopi, excepto apostolico, majoris auctoritatis sint, quam illi qui hanc causam diffinierunt: quæ si iterum ad judicium revenerit, et inventum fuerit quia persistere ita non debeat, isti episcopi, qui eam judicaverunt, amplius in episcopatu manere non poterunt.

RESPONSIO.

Econtra sanctus Cælestinus ad Nestorium scri-

psit. Nos, inquiens, et quod contra fas est, etiam sacerdotes volumus esse correctos. Relegant qui hæc dicunt Actus apostolorum, et videant, quia de quæstione circumcisionis et observatione legis, quidam descendentes ab Jerusalem in Antiochiam commoverunt seditionem adversus Paulum et Barnabam, adeo ut statuerint pro hæc quæstione, missis cum eisdem etiam aliis, ascendere Hierosolyman ad apostolos et presbyteros, de qua itidem quæstio post adventum eorum mota est a quibusdam ex Pharisæis in Jerusalem : et perpendant, quod aliter ex ea definitum a Petro, et sit judicatum a Jacobo, quam illi judicarent, et diffinirent, et nemo sit illorum damnatus (Act. xv). Videant quoque in Epistola Pauli ad Galatas, Petrum de simulatione ab eodem Paulo reprehensum, correptum, atque correctum, et non damnatum : et eandem correptionem a primo apostolorum adeo acceptatam, ut eadem Pauli Epistolas, in quibus se reprehensum legerat, magnis laudibus honoraret (Gal. ii; II Petr. iii). Et ne quis dicat, ut secundum Scripturam minor a majore benedicatur (Hebr. vii, 7), ita non major a minore judicabitur, legant Pauli Epistolas ad Corinthios, et invenient archiepiscopum et doctorem egregium redarguisse inobedientes, atque correxisse, non condemnasse episcopos, quia fornicatorem sine digna invectione permitterent inter se degere. Et quoniam pro hujusmodi excessu episcopos iucrepaverit, evidenter ipse demonstrat dicens : *In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu (I Cor. v, 4)*. Et in secunda Epistola : *Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim hæc scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestri, an in omnibus obedientes sitis. Cui aliquid donatis, et eo. Nam ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi (II Cor. ii, 8, 9, 10)*. Donavi enim dixit, indulsi ; quod non aliorum est : de publico publice abjecto crimine, quam episcoporum, sicuti norunt qui regulas ecclesiasticas non ignorant. Unde et in Carthaginensi concilio scribitur (can. 15) : Hoc etiam, inquit, placuit, ut a quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad iudices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convicti non fuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. De hoc autem, quia non alii archiepiscopi majoris auctoritatis sunt quam isti, ut ante eos hæc causa iterum ad iudicium veniat, supra ostendimus, quia quod singularitas non habet, pluralitas obtinet. Quod et auctoritas Scripturæ demonstrat dicens : *Si duo ex vobis consenserint de omni re super terram, fiet illis; et : Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum (Matth. xviii, 19, 20)*. Et quando apostoli, cum cæteris fidelibus et Maria matre Jesu congregati, simul oraverunt, motus est locus, et super centum viginti in die Pentecostes congregatos Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit (Act. ii). Et Paulus,

A ut supra diximus, demonstrat dicens, *Congregatis vobis meo spiritu (I Cor. v, 4)*. Et apostolorum princeps, multa donorum gratia repletus, maxima miraculorum potestate suffultus, quando per admonitionem Spiritus ad Cornelium gentilem fuit ingressus, contra eum a fidelibus quæstione facta, cur ad gentiles intrasset, et comedisset cum eis, cur eos in baptismo recepisset, non ex potestate, sed ex ratione querelæ respondit, causam per ordinem exposuit, humili eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit, dicens : *Venerunt autem mecum et sex fratres isti (Act. x, et xi)*. Si igitur pastor Ecclesiæ, et apostolorum princeps, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de aliqua re reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus, etiamsi majoris auctoritatis in aliquo iudicemur? Et hæc dicimus, non quo fratres et sacerdotes nostros in aliquo secundum regulas ecclesiasticas iudicantes reprehendamus, sed ut quæ agenda nobis sunt, qui aliquid esse dicimur, cum nihil simus, ut dicit Apostolus (Gal. vi), non nosmetipsos seducamus, manifestius demonstremus : et si in causa, de qua disceptatio nascitur, quiddam emendatione dignum extiterit, salva charitate mutetur in melius, sicut de non circumcidendis gentibus, et non de iugo legis eis gravandis sensit Paulus, consensit Petrus, adjudicavit Jacobus (Act. xv). Et sicut sacrum Nicænum decrevit concilium (can. v), ut communiter omnibus simul episcopis congregatis provinciæ discutiantur hujusmodi quæstiones, et facta discussione, aut ita ut acta sunt maneant, aut in melius mutetur sententia (can. 6). Et si communiter decretum rationabili, et secundum regulam ecclesiasticam comprobato, duo aut tres, non propter fidei veritatem, vel auctoritatis sinceritatem, sed propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum (can. 9). Si autem ex superfluo, ut solet accidere, fraterna diffinitio retractanda visa quibusdam fuerit, sicut de suscipiendis gentibus supra meminimus, et plena fide atque auctoritate ratio reddita fuerit, Actuum apostolorum sententia in medium veniat, qua prosequente Petro de gentibus dicitur : *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His autilis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum dicentes : Ergo et gentibus penitentiam dedit Deus ad vitam (Act. xi, 17, 18)*. Si etiam minus necessaria forte emergerit quæstio, fraterni motus animi ad pacis charitatisque custodiam componantur, sicut demonstrat auctoritas evangelica, quando facta est quæstio inter discipulos quis eorum videretur esse major (Luc. xxii, 24). Et si aliquis contra subjectos violenter ac negligenter, sive in sacro ministerio secus quam debeat egerit, secundum regulas sancto Spiritu promul-

gatas, ab his quorum interest corrigatur et emendetur, sicut et Nicænum concilium (*can. 5*) de excommunicatis, et Sardicene (*can. 17*) de iracundo episcopo, quod esse non debet, qui presbyterum vel diaconem suum exterminare voluerit, et Chalcedonense (*can. 25*) de neglecta ordinatione episcoporum, et cætera quæque concilia, atque epistolæ Leonis sive Gregorii manifeste demonstrant. Si denique fidei, quod absit, aut ecclesiastico dogmati, vel sacræ auctoritatis statutis, quilibet temerario ausu obloqui, vel conculcare tentaverint, et hi secundum præceptum Dominicum moneantur, et si, quod longe faciat Dominus rebelles, ac contentiosi contemptoresque prestiterint, necesse est ut dignis invectionibus, secundum sacros canones, et exempla atque statuta majorum, feriantur et comprimantur, sicut sanctus Leo in epistola ad universas decrevit provincias (*epist. ad episc. Ital.*): « Omnia, inquit, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari: et qui contra constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. » Et beatus Gelasius: « Nec ambigant qui hæc exercere sunt ausi, seu etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii jacere dispendio, si non quanta possunt celeritate festinent ut lethalia vulnera competenti medicatione curentur. » Et sanctus Cælestinus ad Nestorium (*epist. 5*): « Quibus præmissa conventionem consulimus, in hos necesse est damnationis sententiam, si abutantur nostra salubri admonitione, firmemus. » Et ad Cyrillum Alexandrinum: « Hæc ideo dicimus, ne volenti corrigere forsitan deesse videamur. Nam et si nobis sustinentibus uvam, spinas sibi addiderit, impleatur, et manentibus statutis **689** prioribus, sui fructu iudicii colligat quod sulco diabolico seminavit, non nostro consilio sed se periturus auctore. »

QUÆSTIO IV.

Dicunt nihilominus quia si isti regi non licuerit aliam uxorem accipere, aut suam concubinam sicut nunc habet tenere, quod velit nolit illa sua uxor iudicabitur ad illum redire: et ille tale ingenium de illa inveniret, ut ab illa liberetur, et ulterius non debeat ad iudicium inde venire.

RESPONSIO.

Non huiusmodi iudicium ex evangelica veritate, et apostolica auctoritate, vel sacrorum canonum promulgatione didicimus: sed sicut Africana synodus diffinivit (*can. 69*): Placuit, inquit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur, sed ita maneat, aut sibimet reconcilientur. Reconcilientur enim dixit, non cogantur: et qui sanum sapit, qualiter reconciliatio fiat intelligit. Et

A item Paulus, commemorans de eo per quem reconciliati sumus Deo, et ministerium reconciliationis accepimus: *Obsecramus*, inquit, *pro Christo, reconciliamini Deo (II Cor. v, 18)*. Quæ reconciliatio fit gratia vocantis non cogentis Dei, et libero non coacto arbitrio hominis. Et de justo viro scriptum est: *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio (Eccli. XLIV, 17)*, videlicet ut non reputentur delicta. Qui enim novit unde *concilio* et *reconcilio* componitur, reconciliationis modum et ordinem non ignorat. Diversa siquidem morborum genera diversa medicamentorum quærunt experimenta. Et legimus in sacra auctoritate, quosdam redigi et cogi ad pœnitentiam, quosdam vero excommunicari donec ad pacem redeant, quosdam vero partim suæ voluntatis libertati relinquere, sicuti supra ostendimus ex epistola sancti Gregorii de Leonis chartularii muliere, quæ eum pro fornicationis crimine, induta religiosa veste ad tempus reliquerat, sed post præstitum sacramentum, agnita mariti innocentia, ad eum sponte reversa est. De qua quid erga eam debeat observari, Secundino Taurominitano scribit episcopo. In quibusdam vero ex toto libertatis est exspectandum arbitrium, sicut et in hac causa, quia conceditur ut causa fornicationis vir et mulier separentur, vel separati reconcilientur. Cogitur autem, ablato penitus voluntatis arbitrio, et non conceditur, ut vir et mulier, excepta causa fornicationis, separentur, et ut separati aliis nullo modo jungantur. Hinc sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis conjugiiis dicit (*cap. 13*): « Non est, inquit, ad quod exhortemur eos qui reconciliari timent conjugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendam continentiam: quoniam mulier alligata est, quandiu **690** sive mœchus sive custos vires vivit, mœchatur si alteri nupserit; et vir alligatus, quandiu sive mœcha sive casta uxor ejus vivit, mœchatur si alteram duxerit (*I Cor. VII, 3*). Hæc namque alligatio quandoquidem non solvitur, etiamsi per repudium conjux a casta conjugem separetur, multo minus solvitur, si non separata mœchetur: ac per hoc non eam solvit nisi mors conjugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, et ei reconciliari non vult, maneat innupta; et si dimiserit vir adulteram mulierem, et eam non vult recipere nec post pœnitentiam, custodiat continentiam, et si non ex voluntate eligendi potius boni, certe ex necessitate vitandi perniciosi mali. Ac per hoc ad hoc exhortarer, etiamsi uxor esset in languore insanabili atque diuturno, aut etiamsi accubi esset corpore separata, quo maritus non posset accedere: postremo ad hoc exhortarer, etiamsi mulier volens vivere continenter, quandiu contra disciplinam, quia non ex consensu, tamen pudicam pudicam dimitteret. Puto enim Christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui, vel diu languente, vel diu absente, vel continenter vivere cupiente sua uxore, alteri commistus est feminæ. Sic ego et dimissa adultera adulter est cum adultera, quod no-

niam non ille aut ille, sed, *omnis, qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, mæchatur* (Luc. xvi, 18). Et item in eodem (cap. 18): « Illis viris et gratiam, videlicet baptismatis, et medicinam siquidem pœnitentiæ negabimus, quoad cum adulteris vivunt, si prioribus uxoribus præter causam fornicationis repudiatis, alteras duxerint. Nisi forte quis dicat neminem posse uxorem suam mæchari facere, si pudica est: et tamen Dominus: *Omnis qui dimiserit, inquit, uxorem suam præter causam fornicationis, facit eam mæchari* (Matth. x, 33). Utique propterea, quia cum esset pudica cum viro, tamen dimissa cogitur per incontinentiam, vivo priore viro, alteri copulari, et hoc est mæchari. Quod si hoc ista non fecerit, tamen ille, quantum in ipso est, facere compulit, et hoc ei Deus peccatum, etiamsi illa casta permaneat, imputabit. » Et item (*ibid.*): « Hæc autem me de utroque sexu meminere dicere. » Et item (*ibid.*): « Tunc quippe ibi erunt, qui viventibus conjugibus pristinis non conjugibus propriis, sed adulteris adhærebunt. Et si a regno cœlorum aberunt, ubi erunt, nisi ubi salvi non erunt? » Unde constat, quia sicut supra auctoritate Scripturarum, et magistrorum doctrina monstravimus, vir et uxor separari non possunt, nisi aut propter continentiam connubii, quo amplius, quia spiritualius, conjuncti perseverant, aut propter fornicationem, quia unum corpus et unam carnem quisque eorum diviserit; propter quam causam si digne pœnitens simul permanere vel reconciliari noluerint, separari si voluerint, possunt, cogi autem ut simul maneat vel ut reconcilientur, omnino non debent persuaderi si possunt debent: quia reconciliatio voluntatem quærit, amorem expetit, quæ sicuti fides et **601** pura confessio suaderi potest, extorqueri non potest, cogi autem ut simuletur potest, ne vero aliis propter fornicationem disjuncti jungantur, prohiberi omnimodis debent: quod si contempserint, debent ad pœnitentiam redigi. Et quoniam de simulatione quiddam tetigimus, si forte simulatio, quod absit, in quocunque homine fuerit, qui propter fornicationem manifeste ab uxore, ne illi iterum jungatur, potest rejici, ut eam persuasam, non autem coactam, recipiat, quia illa vivente alteram non valebit accipere, nisi forte talis inventa fuerit ratio, cui sacra non contradicat auctoritas, meditetur eam quoquo modo perdere, talis firmitas debet ab eo quæri, sicut sanctus Gregorius ab his præcipit exigere, æquitate illis servanda, qui vim injustitiæ metuentes, ad sacraria sacra confugiant, quam firmitatem si convictus quisque fuerit temerasse, publicis et ecclesiastica debet subjacere judiciis. Si autem clanculo egerit, ut legaliter convinci non possit, habebit sacerdotali suasionem conscientie suæ testem, quem habebit et judicem. Nam episcopalis providentia absoluta in iudicio illi dicet, quod Elias Elisæo studuit demonstrare: *Quod, inquit, meum fuit, feci tibi* (III Reg. xix, 20). Et Domino: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem*

tuam et salutare tuum dixi (Psal. xxxix, 11). Et in his, atque aliis omnibus, in doctrina sua sacerdotalis auctoritas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit, *Argue, obsecra, increpa* (II Tim. iv, 2), id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem, et mites, et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare, negligentes vero et contemnentes corripere et increpare, neque debet peccata delinquentium dissimulare, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea ut prævalet amputare.

QUESTIO V.

Sed et de Bosonis muliere, de qua idem Boso apud Confluentes reclamavit, quæ postea ad istum regem venit, et in illius potestate fuit, quidam dicunt, quod malum facit, quia cum possit, eam suo marito non reddit. Et quidam dicunt, quia non decet ut suam propinquam, quæ ad illius fidem venit, ad mortem tradat, nec convenit ut francam feminam opprimat, et sicut ancillam constringat, et alteri illam nolentem reddat. Et quidam dicunt, quia si eam reddere voluerit, ad Normannos ibit: et melius est ut eam inter Christianos habitare permittat, et inter eos vitam, quam alter illi vult tollere, liberet.

RESPONSIO.

Capitula sunt legalia imperatorum et regum prædecessorum suorum, quid sustinere debeat qui post bannum latronem receperit, **602** et in chirographo regum nostrorum hinc expresse decernitur, cuius ministerium est agere ut illa observentur, sicut sanctus Ambrosius ad Valentinianum scribit: *Leges enim imperator ferat, quas primus ipse custodiat, quas si ipse fregerit, timendum est ne audiat ab Apostolo: Qui prædicas non furandum, furaris; qui abominaris idola, sacrilegium facis* (Rom. ii, 11). Propterea salubriter et convenienter a Domino audiat, *Medice, cura te metipsum* (Luc. iv, 23). Timeat etiam quod scriptum est, dicente Domino cuidam regi: *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius* (III Reg. xx, 42). Et item: *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt me amicitia jungeris: propterea iram quidem Domini merebaris* (II Paral. xix, 2). Et item scriptum est: *Anathema in medio tui, non poteris stare coram inimicis tuis* (Jos. vii, 13). Et: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* (Eccli. xii, 1). Nemo enim abscondit ignem in sinu suo, et vestimenta ejus non exuruntur (Prov. vi, 27). Si de misericordia agitur, legat et videat quam impia misericordia impie offendet Saul, quia pepercit Agag, sed illum non liberavit, et ipse regnum otiam perdidit (I Reg. xv). Et sanctus Cælestinus dicit: *Est pietas, de qua nascatur impietas. Si de propinquitate, audiat scriptum: Qui dixerunt Patri suo et matri suæ, Non novi vos, et fratres suos in causa Dei non cognoverunt, hi custodierunt testamentum tuum, Domine* (Deut. xxxiii,

. Et Dominus : *Qui amat patrem suum et matrem* **A** *iam plus quam me, non est me dignus* (Matth x, 37), et cætera quæ ibi sequuntur, Si de libertate, iudicio legis et divinæ et mundanæ illius esse dignoscitur qui eam reperit, contra quem ut dicitur fornicata, de fornicatione conqueri non valet. Si pro liberatione vitæ ut dicitur eam retinet, supra ostendimus quam firmitatem de æquitate servanda exigi ab eo ecclesiastica jubet auctoritas. Si, ut dicitur, ob hoc eam retinet, ne apud Nortmannos pereat respondeat inde Apostolus : *Infidelis si discedit, discedat* (I Cor. vii, 15). Et : *Auferte malum ex vobis* (I Cor. v, 13), ne una ovis morbida totum gregem contamine. Et non est rex iste justior Domino, qui nec Judam, ne ad Judæos, vel sicut Petrus dicit : *In locum suum iret* (Act. i, 25), invitum prohibuit, nec pueros Herodem per potentiam occidere vetuit, neque Petrum, ne milites pro eo occiderentur in carcere, de quo eum, quando producturus erat, in ipsa nocte eripere destitit (Act. xii). Sed et Dominus, qui proximum quemque sicut seipsum diligere docuit, neminem peccare, ut alter a peccato liberaretur, rogavit. Et qui animam suam, id est vitam corporis etiam pro inimicis posuit, et ponendam pro amicis prædicavit, neminem debere æternaliter perire docuit, ne alter in æterna damnatione periret. Providere etiam debet quisque sui talibus se commiscet, et talia opponit, ne reputetur intendere ad excusandas excusationes in peccatis, quia non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus digni sunt morte : a qua consensione liber non erit, qui cum malum possit avertere non avertit, vel cum malos possit reprimere, in sua eos libertate dimittit : *Judex enim, sicut scriptum est, qui non sine causa gladium portat, constitutus est ad vindictam* **B** *malefactorum, laudem vero honorum* (Rom. xiii, 4). Cui in libro Deuteronomii dat regulam iudicii et punitionis Dominus dicens : *Vir autem, aut mulier, qui faciunt mala in conspectu Domini Dei tui, et transgrediuntur pactum illius, ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem, et lunam, et omnem militiam cæli, quæ non præcepi, et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, quia abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium **C** *testium peribit qui interficitur. Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extremam mittetur, ut auferas malum de medio tui* (Deut. xvii, 2-7). Et ne quis dicat, Hæc sententia non pertinet ad mulierem Bosonis, quia de idololatriis scribitur, legat Scripturam dicentem : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terreni sapiunt* (Philipp. iii, 19). Sed et hæc sententia ad rem nefariam pertinet, quæ Hucberto, et regis mulieri, ut dicitur, reputatur : quoniam in libro Levitico ab om' nationes singillatim designatæ morte multantur,*

adultera lapidibus præcipitur obrui : salva legum **A** *latione. quæ eisdem profertur legibus, quas illi con-* **no** *diderant, qui auctore Domino leges justa decernentes* **est** *condiderant. Unde sanctus Augustinus in secundo* **ob** *libro de adulterinis conjugis, post prædicamenta,* **est** *quibus persuaderi viris jubet, ut a sanguine adulte-* **est** *rarum se abstineant conjugum, dicit* (cap. 15) **(c.** *Postremo, inquit, quæro abs te, utrum marito* **est** *Christiano liceat, vel secundum veterem Dei legem* **est** *vel Romanis legibus, adulteram occidere? Si licet* **est** *melius est ut ab utroque se temperet, id est, et a* **est** *licito illa peccante supplicio, et ab illicito illa vivente* **est** *conjugio. Quod si alterutrum eligere perseverat,* **est** *satius est ei facere quod licet ut adultera puniatur,* **est** *quam id quod non licet ut ipsa viva ille mœchetur.* **est** *Si autem, quod verius dicitur, non licet homini* **est** *Christiano adulteram conjugem occidere, sed tan-* **est** *tum dimittere, ea videlicet conditione, ut aut conti-* **est** *nenter vivat, aut ei reconcilietur : quia si illa vi-* **est** *vene alteram duxerit, et ipse adulterii sine dubio* **est** *reus erit. »*

QUÆSTIO VI.

Dicunt quoque etiam aliqui sapientes, quia iste princeps rex est, et nullorum legibus vel iudiciis subjacet, nisi solius Dei, qui cum in regno, quod suus pater illi dimisit, regem constituit, et si voluerit pro hac vel alia causa ibit ad placitum vel ad synodum, et si noluerit, libere et licenter dimittet : et sicut a suis episcopis, quidquid egerit, non debet excommunicari, ita ab aliis episcopis non potest judicari, quoniam solius Dei principatui debet subijci, a quo solo potuit in principatu constitui : et quod facit, et qualis est in regimine, divino sit nutu, sicut scriptum est : *Cor regis in manu Dei quocunque voluerit vertet illud* (Prov. xxi, 1).

RESPONSIO.

Hæc vox non est catholici Christiani, sed nimium blasphemæ, et spiritu diabolico pleni. David rex et propheta peccans, etiam a minore suo Nathan increpatus audivit quoniam vir mortis erat, et per validissimam pœnitentiam est salvatus (II Reg. xii). Saul a Samuele percepit quia de regno esse dejectus (I Reg. xiii, et xv). Roboam a propheta æque suscepit, quia de manu illius regnum, quod bene pater suus tenuerat, esset scindendum (III Reg. xi). **D** Quando peccaverunt reges, et filii Israel, et traditi sunt in manus gentium, sicut Manasses et Sodechias, vel timuerunt a facie Domini sicut Ezechias, pœnitentiam meruerunt, et misericordiam meruerunt. Et in Deuteronomio scriptum est : *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et iudicium in porta tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit in illo tempore, quærensque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quodcumque dixerint qui*

præsumunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te **A** juxta legem ejus, sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbia nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes matrem de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intremescat superbia (Deut. xvii, 8-13). Per sacerdotes enim dicit Dominus: *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (Psal. ii, 10, 11, 12). Et apostolica auctoritas commonet, ut et reges etiam obediant præpositis suis in Domino, qui pro animabus eorum invigilant, ut non cum tristitia hoc faciant (Heb. xiii). Et beatus Gelasius papa ad Anastasium imperatorem scribit (epist. 10): « Quia duæ sunt personæ, quibus principaliter hic regitur mundus, scilicet pontificalis auctoritas, et regia dignitas, et tanto majus est pondus pontificum, quanto de ipsis etiam regibus reddendi sunt Domino rationem. » Ambrosius Theodosium imperatorem ab ecclesia culpis exigentibus segregavit, et per pœnitentiam revocavit. Nostra ætate pium Augustum Ludovicum a regno dejectum, post satisfactionem episcopalis unanimis, saniore consilio, cum populi consensu, et Ecclesiæ et regno restituit. Quod dicitur, quia rex nullorum legibus vel judiciis subjacet, nisi solius Dei, verum dicitur, si rex est sicuti nominatur. Rex enim a regendo dicitur, et si seipsum secundum voluntatem Dei regit, et bonos in viam rectam dirigit, malos autem **C** de via prava ad rectam corrigit, tunc rex est, et nullorum legibus vel judiciis nisi solius Dei subjacet: quoniam arbitria possunt dici, leges autem non sunt, nisi illæ quæ Dei sunt per quem reges regnant, et conditores legum justa decernunt. Et quicumque rex veraciter rex est, legi non subjacet, quia lex non est posita justo, sed injustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis, contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, et his qui operibus carnis serviunt, de quibus dicit Apostolus: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur* (Gal. v, 19, 20-21). Qui autem se et alios secundum fructus Spiritus regit, qui sunt *charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, legi non subjacet, quia *adversus hujusmodi non est lex* (ibid., 22-23). Sed solo judicio Christi subjacet a quo et remunerabitur cujus est qui carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis. Alioquin adulter, homicida, injustus, raptor, et aliorum vi-

tiorum obnoxius quilibet, vel secrete, vel publice judicabitur a sacerdotibus, qui sunt throni Dei, in quibus Deus sedet, et per quos sua decernit judicia, quibus et in apostolis suis, quorum locum in Ecclesia tenent, Dominus dixit: *Si peccaverit frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Si te non audierit, adhibe unum vel duos: quod si nec te audierit, dic Ecclesiæ. Quod si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 15, 16). Et ne quis in hoc sacerdotem parvipendat adjunxit Dominus: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cælo* (ibid., 18). Et item dicit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (Luc. x, 16). Quod dicitur, quia a solo Deo in regno, quod pater suus illi dimisit, constitui potuit: sciant qui hoc dicunt, quia quidam a Deo in principatu constituuntur, ut Moyses, Samuel, et Josias, de quo scriptum est antequam nasceretur, *Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine* (III Reg. xiii, 2), et reliqua quæ ibi sequuntur. Quidam vero a Deo per hominem, ut Josue, et David. Quidam autem per hominem, non ut sine nutu divino, quia nihil sit, ut Augustinus dicit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit, et quidquid agitur, ministerio angelorum et hominum agitur, ut Salomon jussu patris David per Sadoch sacerdotem, et Nathan prophetam (III Reg. i). Et multi civium vel militum fulti auxilio reges constituuntur vel deiciuntur de principatu, et etiam sancti, sicut Samuel (I Reg. viii). Successione etiam paterna quidam regnant, sicut de his omnibus in historiis et chronicis, et etiam in libro, qui inscribitur *Vita Cæsarum*, invenitur. Quidam siquidem tyrannica usurpatione obtinent principatum, propter sua complenda, vel populi ulciscenda peccatum, de quibus scriptum est, *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi* (Osc. viii, 4). Et **D** *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi* (Job xxxiv, 30). Quod tale est sicut et necesse est ut veniant scandala, væ autem homini per quem scandalum venit: quia væ illi est, ut quod sciendum est, talem se suo vitio efficit, ut per illum quod ad væ pertinet exsequatur. Quod de regno dicitur, quia pater suus ei illud dimisit, veteri hinc potius rex iste debet divina, et verecundari humana judicia, quam de regni adeptione forte gloriari, si tamen patris bonos mores, et sanctam vitam, et æquum ac justum regimen imitatus non fuerit, vel si, quod absit, illius pravos mores, aut injustam vitam, quam illum habuisse non dicimus, sive indignum regimen sequi delegerit. Quid enim filios Samuelis necessitudo juvit parentis, cujus non fuerunt virtutis hæredes? Quid etiam Moysi liberis paterna profuit cura justitiæ, cujus eos imitatio non successit? Itaque neque ad illos patris potestas quasi ex successione deferretur, qui illum vocabulo tantum signabant parentem, et ad eum migravit qui illius erat filius virtute non genere, quod et iste debet timere. E regione vero

quid Timotheo nocuisse creditur quod fuerit patre gentili? Siquidem et sanctus Abraham impium habuit patrem, neque tamen hæres illius impietatis effectus est. Et Ezechias profanissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit. Quid autem e diverso Noe filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est servus? Et Joseph in media quondam servivit Ægypto, sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. Et tres pueri et Daniel in Babylone fuerunt principibus celsiores. Videmus certe quam non sufficiat ad suffragium liberis paterna nobilitas. Vitia siquidem vicerunt nature privilegia, et peccantem non modo de nobilitate patris, verum de ipsa etiam libertate pepulerunt. Esau quoque nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris favore munitus? Qui licet studeret atque cuperet nempe ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris jussa faciebat, sed tamen quia pravis moribus erat, nihil ex his omnibus prorsus adjutus est, sed juxta nature ordinem prior, et de patris voluntate securior, quia tamen displicebat Deo, omnia quæ jam tenere videbatur amisit. Quæ omnis rex, sed et iste attendat, et non omnia quæ ei libent libenter faciat, quia non omnia quæ licent expediunt. Ei juxta quod scriptum est, *Magnates humiliet caput suum in honore Regis regum, cujus est regnum, et per quem reges regnant* (Eccli. iv; Prov. viii): qui dicit, *Honorantes me honorificabo, et hi qui contemnunt me erunt ignobiles* (I Reg. ii, 30). Et sacerdotibus suis dicit: *Qui vos recipit me recipit, et qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (Luc. ix et x). Exemplum denique Scripturæ, *Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud* (Prov. xxi, 1) ad confirmandum quia non facit et qualis in regimine populi, nutu divino fiat, male, sicut et diabolus abusus est ad Salvatorem, *Angelis suis mandavit de te* (Matth. iv, 6), interpretatus est iste illius discipulus. *Cæternm cor regis in manu Dei est*, quia, sicut supra ostendimus, ille veraciter rex est, qui se suasque cogitationes, verba, et actus sub divino rexerit nutu. Et cor illius in manu est Dei, ut in hac convalle lacrymarum ascensus disponat in corde suo, ambulans de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion, id est in æternæ felicitatis et divinæ visionis contemplatione. Econtra autem, cor ejus, qui sessore diabolo male regitur, in illius est potestate: adeo ut si aliquid de mandatis Dei audierit, veniens ipse diabolus tollat verbum de corde ejus, ne credens, vel in his quæ crediderat operando perseverans, salvus fieri valeat: et sic traditus in reprobum sensum facit quæ non conveniunt, quia cum cognoverit Deum, non sicut Deum dignis obsequiis honoravit. De eo quod dicitur, *Quia Rex, si noluerit venire ad synodum, libere etiam compellatus dimittet: sancta Scriptura, sacrique canones monstrant, in judicio personam non debere accipere, sed causæ qualitatem discernere.* Et Hucbertus, postquam certo crimine in sororem suam perpetrato denotatus, et litteris synodalibus ad

A synodum exstitit provocatus, jam in tribus synodis per legatos et litteras ad rationem reddendam, tantum ut cum servandæ sibi æquitatis securitate venire valeret, suam præsentiam obtulit, et causidicus ac reputator criminis toties defuit, aut libertatem reddendæ rationis negavit. Unde Bonifacius papa ad Gallicanos scribit episcopos (*epist. 11*): « Probat, inquit, vera esse illa quæ adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Confitetur enim de omnibus quisque subterfugere judicium dilationibus putat: (*ibid.*) Unde congregari decrevimus synodum, ut si adesse voluerit, præsens si confidit ad objecta respondeat, si adesse neglexerit dilationem sententiæ non lucretur. Nihil enim interest, utrum in præsentem examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constat absentia. »

QUÆSTIO VII.

Et quoniam ita ut diximus a quibusdam sapientibus dicitur, utrum aliquod periculum inde habeant episcopi, et alii Christiani, qui illi adulteranti communicant, vel, si periculum est, quomodo erunt liberi ante Dominum de communicationis periculo

RESPONSIO.

Scriptum est: *Qui converti fecerit peccatorem a errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum suorum* (Jac. v, 20). Ita e contrario, quotquot quisque exemplo suæ pravitatis destruit, pro tantis, nisi digne pœnituerit, damnatus erit. Idcirco enim publice pœnitentiam agit, non quo Dominus se creta confessione et privata pœnitentia de criminibus etiam peccatis digne pœnitenti indulgentiam non largiatur, quia etiam David coram uno redigente se ex Domini auctoritate pœnituit, et confessus est, et peccati indulgentiam meruit, cujus postea publice vindictam sustinuit. Sed qui plures su pravo exemplo destruxit, plures humilitatis pœnitentia ad salutem ædificet, quatenus sicut et de Paulo dicitur (*Act. ix*), qui eum pridem viderant persequentem Ecclesiam, et postea ædificantem eam, in eo Dominum glorificabant. Sed et publice peccans, et ad pœnitentiam redire nolens, idcirco publica excommunicatione ab episcopis de Ecclesiæ societate dejicitur, non quo jam excommunicatus coram eo non sit, qui leges ecclesiasticas perstruens loquens spiritum promulgavit: sed ideo sacerdotibus et apostolorum atque apostolicorum virorum successores suum officium exsequuntur, ne a subditis negligere ministerium suum patentur, et sicut peccantis culpa innotuit, ita et redargutio corrigentis omnibus innotescat, et qui aliter suum peccatum non vult intelligere, vel quia ab omnibus repellitur, et nullo suscipitur, quia sæpe bona præstantur invitæ vel coactus ad pœnitentiam redeat, et necessitas devotionem revertatur, et correctus per humilitatem, qui per superbiam peccaverat, incorporari per

conciliationem Ecclesiæ mereatur. Atque etiam cunctis regibus et principibus princeps et rex pravus, quantis in re in sæculo, sub tantis modo plagali erit in flammarum damnatione. Unde incessanter suos actus consideret, et exemplo perdit, metuat, quia non solum plurimos exemplo suæ pravitatis occis sine dubio rationem Domino reddet. per se, sed et per eos qui eum imitati exemplo seu auctoritate delinquant, ipse delinquit: maxime cum ipse, quasi ens, aliis delinquendi fomes existit. In re loquens dicit Apostolus: *Vultus vestra offendiculum fiat infirmis*. Et rursus: *Peribit infirmus in tuum, propter quem Christus mortuus est. Contemnes in fratres et percutientes conscientiam in Christum peccatis* (ibid., 11, 12). licet: *Qui scandalizaverit unum de parvulis in me credunt, expedit ei ut suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum: (Matth. xviii, 6):* quia melius profectus, ut in privata vita degeret, quam in publicis sitis se imitabilem in culpa cæteris deponere: pro tantis pœnas lucret, quantis quasi ipse, suo exemplo ad vitia dux et auctor. Cujus tanto est culpa gravior, et durior, quanto excedenti est facultas: et nemo amplius delinquit in populo, qui perverse agens ordinem perturbat. Delinquentem namque hunc reus præsumit, et in exemplum culpanter extenditur, quando pro reverentis peccator honoratur. Et ut honores dulantibus tribuat, laudatur peccator animæ suæ, et qui iniqua agit benedictus a mortuis in morte pessima sepe scriptum est: *Videbas furem, et currebas cum adulteris portionem tuam ponebas*. Currit enim cum fure, et portionem suam eo, quando ei quis, vel in adulteris in consentaneis voluptatibus illi sectionem suam, quam cum Deo et antea debuerat, in inferno cum illo ponit, *David malitia, et lingua concinnabat* (Psal. xlix, 19): quando illo male agente ipse laudabat, vel suis pravis actionum præbebat, *quia non solum qui faciunt consentiunt facientibus, digni sunt* (Rom. 12). Unde sanctus Ambrosius: « Cum videt honorari se (quin is qui talia facit non sunt tales, crescit in mala, et in se talem, ideo dignum est una hos dos. Sed et is qui talia judicat, sicut dicit, et facit ea, non effugiet iudicium illum judicaturus est, apud quem adu- et personarum acceptio (Rom. 11). » tem hujusmodi periculum devitandi

A sanctus Augustinus nobis dat dicens (*serm. 18 de Verb. Dom.*): « Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, et si redarguas; hoc est, non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* (Ephes. v, 11). Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, *Magis autem, inquit, et redarguite* (ibid.). Videte quemadmodum utrumque complexus est, *Nolite communicare, magis autem et redarguite*. Quid est autem, nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem, magis et redarguite? reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa correptione vel coercionem alienorum peccatorum cavendum est, ne se extollat qui alterum corripit, et qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis, neque negligentis, ut non arguatis, neque superbientes, ut insultanter arguatis. » Et sanctus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliensem episcopum omnibus donat episcopis, dicens (*lib. xii, epist. 32*): « Sunt enim mali segregandi a bonis, et iniqui a justis, ut saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, et convertantur a pravitatibus suis, et si incorrigibiles apparuerint, segregentur a fidelibus usque ad satisfactionem juxta Domini Salvatoris sententiam, qua inter cætera de peccante in se fratre præcipiendo ait: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, tunc dic Ecclesiæ. Si autem et Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 15-17). His ergo et multis aliis sanctorum Patrum auctoritatibus segregandi sunt mali a bonis, ne pereant justis pro injustis, sicut scriptum est: *Perit justus pro impio* (Eccle. vii, 16). Debet enim semper discretio fieri inter bonos et malos, sicut est inter hædos et oves. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est, ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum et inter jumenta hæc fieri persæpe cognovimus, et ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separantur a sanis, ne illorum morbo cætera damnentur vel pereant. Satius est enim, ut mali manifeste corrigantur, quam pro illis boni pereant. Unde volumus vos omnes in unum convenire episcopos, ut de incidentibus causis fiat disceptatio, et salubris de ecclesiastica observatione collatio, quatenus, dum

per hoc et præterita corriguntur, et regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur, cuius vobis adesse præsentiam si hæc observabitis scitote, quia scriptum est: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. xviii, 20). Si ergo adesse dignatur ubi duo vel tres sunt, quanto magis non dederit ubi plures conveniunt sacerdotes? Et quidem, qua adhibendum bis in anno concilium Patrum sit regulis institutum, non latet. Sed ne forte aliqua excusatio sit, semel decernimus congregare, ut expectatione concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerique, et si non amore justitiæ, metu examinationis abstinenter ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio. » Et sanctus Ambrosius in epistola ad Theodosium imperatorem dicit: « Exercitiis semper, et jugibus fere curis sum, imperator beatissime, deditus. Sed nunquam tanto in æstu fui, quanto nunc, cum video cavendum ne quid sit quod ascribatur mihi etiam de sacrilegii periculo. Itaque peto ut patienter sermonem meum audias. Nam si indignus sum qui a te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committas preces. Ipse ergo non audies eum, quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris iudicium tuum, ne cum indignum putaris quem audias, indignus feceris qui pro te audiatur? Sed neque imperiale est libertatem dicendi negare, neque sacerdotale quod sentias non dicere. Nihil enim in vobis imperatoribus tam populare et tam amabile est, quam libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos et malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere denuntiare. Siquidem scriptum est: *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebam* (Psal. cxviii, 46). Et alibi: *Fili hominis, speculatorem te posui domui Israel, in eo, inquit, ut si avertatur justus a justitiis suis, et fecerit delictum, quia non distinxisti ei, hoc est non dixisti quid sit cavendum, non retinebitur memoria justitiæ ejus, et sanguinem ejus de manu tua exquiram. Tu autem si dixeris justo ut non peccet, et ipse non peccaverit, justus vitam vivet, quia dixisti ei, et tu animam tuam liberabis* (Ezech. iii, 17-19). Malo igitur, imperator, bonorum mihi esse tecum quam malorum consortium: et ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. Non ergo importunus indebitis me intersero, alienis ingero: sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio. Quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conservandæ salutis: si id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sane divinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim

te sine meo acceptum Deo esse et gloriosum periculo. Sin auserem, silentii mei dissimulationisque culpa et me ingravat, nec te liberat, malo importunior me, quam inutilior aut turpior iudices. Siquidem scriptum est, dicente sancto apostolo Paulo, cuius non potes doctrinam refellere: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (II Tim. iv, 2). Habemus ergo et nos cui displicere plus periculi sit: præsertim cum etiam imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere, et patienter audiat unumquemque pro suo suggerentem officio, imo corripiatis si non utatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in his libenter accipitis qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur, non quod volumus, sed quod jubemur? Scis enim lectum: *Cum stabitis ante reges et præsides, nolite cogitare quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. x, 19). Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamvis etiam illic justitia servanda sit, non tanto astringar metu, si non audiar. In causa vero Dei, quem audies, si sacerdotem non audies, cuius majore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat? Novi te pium, clementem, mitem atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem, sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundum scientiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cavendum arbitror. Novam pietatem tuam erga Deum, lenitatem in homines obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarum, et ideo plus metuo. Amplius sollicitor ne etiam ipse tuo me postea iudicio condemnes, quod mea autem dissimulatione, aut adulatione, prolapsionem non evitaveris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere. Scriptum est enim: *Si frater tuus in te peccaverit, corripe illum primo, deinde increpa coram duobus aut tribus testibus. Si te non audierit, tunc dic Ecclesie* (Matth. xviii, 16, 17). Causam ergo Deum tacebo? » Et item ad locum: « Ego certe quod honorificentius fieri potui, feci, ut me magis audires in regia, ne si necesse esset audires in ecclesia. » Et item in altera epistola ad eundem dicit ad locum: « Tacebam, sed quod miserrimum omnium foret, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et ubi est illud? Si sacerdos non dixerit erratus, qui erraverit in sua culpa morietur, et sacerdos reus erit pœnæ, quæ non admonuit errantem? » Et item ad locum: « Factum est in urbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, quod revocare non potui ne fieret, imo quod ante atrocissimum fore duxi cum toties roga-rem, et quod ipse revocando grave factum putasti. Hoc factum extenuare non poteram, quando primum auditum est, quia propter adventum Gallorum episcoporum synodus convenerat: nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit. Non erat facti tui absolutio in Ambrosii communione, imo etiam amplius commissi exaggeratur invidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam. An pudet

rator, hac facere quod rex et propheta audi secundum carnem prosapiæ fecit David? quod ipse in parabola argueretur, ait: *Peccino* (II Reg. xii, 13). Noli ergo impatienter operari, si dicatur tibi: Tu fecisti istud, vid regi dictum est a propheta. Si enim hoc audieris et dixeris: *Peccavi Domino*; si dixeris ad propheticum: *Venite adoremus, et prociuite eum, et ploremus ante Dominum qui fecit*. xcv, 6), dicitur et tibi, quoniam pœnitent let tibi Dominus peccatum tuum et non » Et item ad locum: « Itaque pœnituit Doct jussit angelo ut parceret plebi, sacrifici em offerret David. Erant enim tunc sacrifici lelicitis, et nunc sunt sacrificia pœnitentiæ. x ea humilitate acceptior Deo factus est. a mirandum peccare hominem, sed illud sibile, si non se cognoscat errasse, si non let Deo. Job sanctus et ipse potens in sæculo *atum meum non abscondi, sed coram plebe antiari* (Job. xxxi, 33). » Et item ad locum: oo scripsi, ut non te confundam, sed ut mpla provoent, ut tollas hoc peccatum tuo. Tolles autem humiliando Deo animam mo es, et tibi venit tentatio, vince eam. a non tollitur nisi lacrymis et pœnitentia, lus potest, nec archangelus: Dominus ipse, potest dicere: *Ego sum qui deleo iniquita- isa. xliii, 25)*, si peccaverimus, nisi pœni- deferentibus non relaxat. » Et item ad lo- Vince diabolum, dum habes adhuc unde ncere. Noli peccatum addere, ut usurpes urpasse multis obfuit. » Et post pauca: aquam, causam in te contumaciæ nul- ro, sed habeo timoris: offerre non audeo um, si volueris assistere. Postremo scribo ea quod solus legas. Ita me Dominus ab tribulationibus liberet, quia non ab ho- que per hominem, sed aperte mihi inter- IOS adverti. Cum enim essem sollicitus e, qua ad te, sicut petieras, proficisci para- isse quidem visus es ad ecclesiam, sed mihi m offerre non licuit. Alia prætereo, quæ xere, sed pertuli amore tuo, ut arbitror. faciat ut omnia cum tranquillitate cedant. a de his nos admonet signis cœlestibus, rum præceptis, visionibus etiam pectorum. D intelligere, quo rogemus eum, ut pertur- auferat, pacem vobis imperantibus servet, lesiæ et tranquillitas perseveret, cui pro- stianos et pios esse imperatores. Certe vis leo. Omni rei tempus, ut scriptum est: *nquit, faciendi, Domine* (Eccle. iii, 1); et: *veneplaciti, Deus* (Psal. cxviii, 126). Tunc cum sacrificandi acceperis facultatem, ostia tua accepta sit Deo. Omnino me de- abere gratiam imperatoris, ut secundum m tuam agerem, si causa pateretur. Et oratio sacrificium est: hæc veniam refert

A illa offensionem: quia hæc habet humilitatem, illa contemptum: Dei enim vox est, quod malit ut fiat mandatum ejus, quam deferatur sacrificium. Clama istud Deus ad populum, Moyses annuntiat, apostolus Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tempore plus placere. *Misericordiam, inquit, malo quam sacrificium* (Matth. ix, 13). Quasi non illi magis sint Christiani, qui peccatum condemnant suum, quam qui defendendum putant. *Justum enim in exordio sermonis accusator est sui* (Prov. xviii, 17). Qui se accusat cum peccaverit, justus est, non ille qui se laudaverit. Et tu præventus es, et ego non declinavi. non quod cavere debueram. Sed gratias Domino, quia vult servulos suos castigare, ne perdat. Istud mihi commune est cum prophetis, et tibi erit commune cum sanctis. »

B Quomodo autem isdem beatus imperator publice pœnitens hæc obaudierit monita, isdem beatus Ambrosius inter alia in Sermone quadragiesimi diei defunctionis ipsius coram Honorio Augusto filio ejus demonstrat. Qualiter etiam cæteri Christiani atque fideles Dei de communicatione hujusmodi periculum evadere valeant, et Dominus in Evangelio de eo qui pro peccato correptus emendare noluerit demonstrat (Matth. xviii), et Paulus in Epistola ad Corinthios dicit: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I Cor. vi, 9, 10). Et item: *Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini. Si quis frater nominatur et est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Auferte malum ex vobis* (I Cor. v, 11 et 13). Et sanctus Joannes evangelista et Apostolus: *Et nunc antichristi multi sunt* (I Joan. ii, 18). Et item: *Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic Filium et Patrem habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus illius malignis* (II Joan., 9-11). Et ne quis dicat, 704 Rex est, quomodo me ab illius potero communicatione subtrahere? sciat sanctum Joannem Baptistam ideo martyrio coronatum, quia dicebat Herodi; *Non licet tibi habere eam* (Marc. vi, 18), quin adulteram mulierem. Et Paulus, ut præmisimus, cum hujusmodi nec cibum sumere vetuit, qui et alibi dicit: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (II Cor. xiii, 3.) Et ipse Dominus in Evangelio clamat: *Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (Joan. viii, 47). Et item: *Si diligitis me, mandata mea servate: qui non diligit me, mandata mea non servat* (Joan. xiv, 15 et 24). Et apostolus Joannes: *Qui dicit quia diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (I Joan. iv, 20). Et Psalmus de Domino. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (Psal. v, 7). Et item apostolus

Joannes in Apocalypsi : *Nec intrabit in ea, id est in cœlesti Jerusalem, aliquid coinquinatum, faciens abominationem, et mendacium (Apoc. xxi, 27). Et item : Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololâtris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda (ibid., 8). Sed eos terribilis increpatio evangelica invehit, qui dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei (Joan. xii, 43), et eos increpant ac persequuntur qui se subtrahere volunt ab omni fratre ambulante inordinate. De quibus videlicet persecutoribus dicitur in Apocalypsi : *Habeo adversus te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetus docere, et se lucere servos meos, fornicari et manducare de idololâthytis. Et dedi illi tempus ut penitentiam ageret, et non vult penitere a fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, et qui machantur cum ea in tribulationem maximam, nisi penitentiam egerint ab operibus suis, et filios ejus interficiam in mortem, et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique secundum opera sua (Apoc. ii, 20-23). Eos autem qui redarguunt iniquitatem, quia hujusmodi non consentiunt, blande consolatur dicens : *Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives; et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini; et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ : qui vicerit, non lædetur a morte secunda (ibid., 9, 10). His vero, qui auctoritate ordinis, aut dignitate potestatis, vel fortitudine virtutis, tali facto non possunt resistere, consulit divina clementia, dicens in eadem Apocalypsi : *Vobis autem dico cæteris qui Thyatiræ estis : Quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus : tamen id quod habetis tenete, donec veniam. Et qui vicerit, et qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea; tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo, et dabo illi stellam matutinam (ibid., 24-28). Et sanctus Ambrosius in Epistolam ad Corinthios dicit : « Si quis potestatem non habet quem scit reum abjicere, aut probare non valet, immunis est : et judicis non est sine accusatore 705 damnare, quia et Dominus Judam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abjecit. Hanc autem excusationem ante Deum sacerdotes et principes ac primores terræ habere non poterunt. » Unde et isdem beatus Ambrosius in eodem loco Epistolæ dicit : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit (I Cor. v, 2). » Superbiam, inquit, illorum in tantum humiliat, ut non querulos jam sed magis supplices faciat. Erant enim et ipsi participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris*****

A secum incorrectum convenire, ut omnes uno consilio abjicerent cum si negaret emendare se. Cognita enim opere isto, pellendum illum fuisse de cœterâ fraternitatis dicit Apostolus; omnes enim crimena ejus sciebant, et non arguebant : publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat legi crimen. *Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, id est absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nusquam abest, jam judicavi, ut præsens, eum qui hoc admisit (ibid., 3).*» Illic advertendum est, quia quicumque crimina admisit peccata, unde jam sunt terminata judicia ab illis Christi organis, qui cum illo in cœlo regnant, et in terris miraculis coruscant, apud quorum mortuos natura cineres, sed Deo vivos, meritorum miraculis demonstratur quia etiam in dictis et suis promulgationibus vivunt, jam judiciali sunt et nisi penitentiam egerint, prædamnati : quamvis inertia nostra, ea, ad quæ ordinali et constituti sumus, in nostro et nobis commissorum periculo exsequi negligamus. Unde magnus Leo papa ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum loquens de sancto Nicæno concilio, quod et de aliis intelligendum fides tenet Catholica, scribit (*epist. 56*) : « Sancti, inquit, illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos, et in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad utilitatem perpetuam generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatam trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa. »

His denique perpensis, et aliis, quæ propter prolixitatem omisimus ponere, sanctarum Scripturarum, et regularum ecclesiasticarum auctoritatibus, considerato etiam periculo quisque suo, sed et is de quo agitur, ad se redeat, et aut actum suum rationi et auctoritati evidenter concordare demonstrat, ne ipse peccans, sicut de Jeroboam Scriptura dicit (*III Reg. xii*), unde gravius Deum offendit alios peccare faciat, aut saluari consilio et auctoritati divinæ, quia aliter salvari non potest, se subdat, et considerans quoniam adolescentia et voluptas vana sunt, pro brevi et misera delectatione, quia *pretium scorti vix vivit est panis (Prov. vi, 26)*, non det alienis honorem suum, et annos suos crudeli, nec det carnem suam ut peccare faciat animam suam, neque exhibeat 706 membra sua arma iniquitatis peccato (*Rom. vi, 13*), et gemat in novissimis, quando consumperit carnes et corpus suum, quando emendare non poterit, cum anima quæ per corpus gessit cuncta reddere compelletur. Sicque cogitans vias suas, et convertens pedes suos in testimonia Domini, de his quæ perperam egit, per dignos penitentiae fructus Domino et Ecclesiæ satisfaciat, et de cætero gressus suos dirigat secundum eloquia Domini per gratiam

dominetur illi omnis injustitia (*Psal.* **A** : imitans conversum Paulum, qui de se i me glorificabant Deum (*Act.* ix); sicut ibet : *Luceat lux vestra coram hominibus, opera vestra bona, et glorificent Patrem in cælis est* (*Matth.* v, 16).

de his, quæ in hac epistola pervenisse ad avimus, quantum Domino inspirante ex Scripturarum atque catholicorum Pa-ina, pro nostra mediocritate sensimus, e veritate et superimposito ministerio alius sanæ præjudicantes sententiæ, nec es auctoritatem. « Neque enim quisquam it olim sanctus Cyprianus dixerat (*conc.*

episcopum se esse episcoporum consti-rannico terrore ad obsequendi necessita-**B** us suos adigit, quando habeat omnis epi-vo per omnia privilegio sanctæ et apos-æ in toto orbe terrarum Romanæ sedis, is pontificis domni Nicolai papæ, et de-torum canonum sancto Spiritu condito-licentia libertatis et potestatis suæ arbi-rium, tam qui judicari ab alio non possit, pse potest alterum singulariter judicare : icit Apostolus (*Rom.* xiv), unusquisque in ibundans, exspectemus universi iudicium stri Jesu Christi, qui unus et solus habet , et præponendi nos in Ecclesiæ suæ gu-, et de acto nostro judicandi. »

um omnes dominos et consacerdotes no-**C** os cum illis pariter admonemus, ut secun-ceptionem magni Leonis papæ ad Rusti-onensem episcopum (*epist.* 95) : « In his fuerint vel obscura, id noverimus so-**D** quod nec præceptis evangelicis contra-decretis sanctorum inveniatur adver-

ia Redemptor noster, qui rex nobis pari-**D** ridos fieri dignatus est, sacerdos videlicet, ceatis hostia suæ passionis emundet, rex,

nobis perenne tribuat, regnumque nos rdotes faciat, ac solus utrumque dignitate rex scilicet, et sacerdos essentialiter fieri) providentia sua constituit, ut sanctus d Anastasium imperatorem scripsit, qui-**D** paliter mundus hic regitur, id est aucto-cram pontificum, et regiam potestatem,

tanto gravius pondus est sacerdotum, am pro ipsis regibus hominum in divino sunt examine rationem, de his duabus llentissimis dignatum personis, beati ontificis et martyris gloriosi sententias ulo subnectere dignum duximus, ut atten-ormam sui nominis, quantum patitur hu-litas, in nullo exorbitent a regula sibi ab itifice pontificum, et rege regum traditæ Ait enim in libro de duodecim sæculi rimo de rege, et postea de episcopo, quia idus est celsior, tanto casus est gravior,

et quanto est dignitas spiritalior, tanto ascensus sublimior. • Nonus, inquit (*cap.* 9), abusiois est gradus, rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet : undo in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam justitia regis exaltatur solium, et veritate solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est, nemiuem injuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum et proximum suum judicare : advenis, et pupillis, et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, ini juos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et perjurantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum, et hariolorum, pythouissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre. patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo vivere, proprietatibus non elevaro animum, cuncta adversa patienter ferre, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum. *Væ enim terræ, cujus rex est puer, et cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* x, 10). Hæc regni prosperitatem in præsentia faciunt, et regem ad caelestia regna meliora perducunt. Qui vero secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerat. Idcirco enim sæpe pax populorum rumpitur, et offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, et servitia populorum præpediuntur : multi etiam dolores prosperitatem regni insciunt, charorum et liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestie armentorum et pecorum greges dilacerant, tempestates veris et hyemis terrarum fecunditatem et maris ministeria prohibent, et aliquando fulgurinum ictus segotes et arborum flores et pampinos exurunt. Super omnia vero regis injustitia, non solum præsentis imperii faciem fuscant, sed etiam filios suos et nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum ejus dispersit, et prosper justitiam David regis, lucernam de semine ejus semper in Jerusalem reliquit (*III Reg.* xi, 15). Ecce quantum justitia regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. Pax popularum est tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimetipsis spes futuræ beatitudinis. **708** Attamen sciat rex quod, sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit,

locum primatus habiturus est. Omnes namque, quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo plagali, in illa futura pœna habebit.

(Cap. 10.) «**Decimus** abusionis gradus est episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo: pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab episcopo, quid sui nominis dignitas tenet, inquiratur. Quoniam episcopus, cum Græcum nomen sit, *speculator* interpretatur. Quare vero speculator ponitur, et quid a speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquit: *Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, et tu non annuntiaveris ut revertatur impius a via sua, ipse quidem impius in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris, et ille non fuerit reversus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti (Ezech. xxxix, 17-19).* Decet ergo episcopum, omnium enim speculator positus est, peccata diligenter intendere. Audiens ergo, et postquam attenderit, sermone si potuerit et actu corrigere, et si non potuerit, juxta Evangelii regulam, scelerum operarios declinare. *Si enim, inquit in Evangelio, peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum. Si te audiverit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si illos non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (Matth. xviii, 15-17).* Tali ordine expellendus est, qui cui-cunque doctori vel episcopo adhærere contemnit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore sive episcopo recipi non debet. Qui ergo illum excommunicatum a catholico, illo non permittente, sibi jungit, jura sacerdotii sancti, quod Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione episcopum ad eos, quibus in speculationem positus est, esse oportet. Cæterum vero, qualis in semetipso esse debeat, in lege de sacerdote scribitur: *Viduum aut repudiatum non accipiat uxorem (Levit. xxi, 7).* Et Paulus apostolus exponit, ut ad gradum episcopi veniens, sit sobrius, prudens, castus sapiens, modestus, et hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his

A qui foris sunt, proferens doctrinarum fidelem sermonem; ante episcopatum non plures habens uxores quam unam; non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus, ut per hæc ipse prius ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ (*1 Tim. iii, 2-7*). Caveant ergo negligentia episcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per prophetam conqueritur: *Pastores multi demoliti sunt populum meum (Jer. xii), et non pascebant pastorem gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos (Ezech. xxxiv).* Sed potius procurent hi, quos constituit Dominus supra familiam suam, dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici (*Luc. xiii*; puram scilicet, et probatam doctrinam, quatenus, veniente Domino, mereantur audire: *Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui (Matth. xxv, 23).*» Hæc denique duo alia abusiva sequuntur, quæ ab istorum negligentia, et periculo secreta esse non possunt. Plebs videlicet sine disciplina, quod ad negligentis episcopi reatum; Populus sine lege, quod ad regis iniqui pravitatem non dubium est pertinere. Sed et octo numero, quæ hæc capitanea duo præcedunt, id est, sapiens et prædicator sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, dives sine elemosyna, femina sine pudicitia, dominos sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, ad ista duo capitula, quibus principaliter mundus hic regitur, sive cum laude et gloria, sive cum vituperatione et judicio, respicere dignoscuntur. Quoniam episcopalis auctoritas prædicando vita et verbo, et regia dignitas regendo et corrigendo, præesse ac proesse omnibus debent, qui disciplinam, id est ordinatam correctionem, et majorum præcedentium regularem observationem sequi et abservare cupiunt. Eos autem qui divina dicta et legum scita contemnant, episcopus medicinali merone, ut membrum putridum a sanis abscidere, et rex judiciali gladio impios debet de terra perdere, quatenus a summo Pastore et Rege regum cum sibi creditis ovibus et subjectis in futuro ac tremendo judicio mereantur audire, ut boni et fideles servi in ministerio in quo fuerant constituti, ab ipso qui eos constituit Domino fideles inventi, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (Matth. xxv, 34),* quod promisit qui non mentitur Deus diligentibus se, et vivit et regnat ante omnia, et per omnia, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.